

Coleccion «SCIENTIA»

- A Pedro Lumbreras, O. P.: *Praelectiones scholasticae in secundam partem D. Thomae*. 12 tomos.
 I. *De tunc ultimo hominis*.— II. *De actibus humanis*.— III. *De habitibus et virtutibus in communi*.— IV. *De vitiis et peccatis*.— V. *De lege*.— VI. *De gratia*.— VII. *De fide*.— VIII. *De spe et caritate*.— IX. *De prudentia*.— X. *De iustitia*.— XI. *De fortitudine et temperantia*.— XII. *De statibus hominum variis*.
- B, Abâzuza-Iragul, O. P. M., Cap.: *Manuale theologiae dogmaticae*.
 I. *Theologiae fundamentalis*.— II. *De Deo Uno, Trino, Creante, Elevante ac de Novissimis*.— III. *De Verbo incarnato, de Bta. Virgine Maria. De Gratia Christi et de virtutibus infusis*.— IV. *De Sacramentis in genere et in specie*.
- C. Pedro Lumbreras, O. P.: *Casus conscientiae*. Vol. I, *De principiis*. Volumen II, *De virtutibus theologicis*.
1. Lârraga-Lumbreras, O. P.: *Prontuario de Teologia moral*.
 2. Lârraga-Lumbreras, O. P.: *Epitome de Teologia moral*.
 3. González, Cap.: *Instituciones de Filosofia neoescolástica*.
 I.—*Lógica*.
 II.—*Critica*.
 4. Dautals: *Breve tratado de Moral social*.
 5. Gabino Márquez, S. J.: *Filosofia del Derecho*.
 6. Gabino Márquez, S. J.: *Los juristes alemanes al alcance de los estudiantes*.
 7. Gabino Márquez, S. J.: *Doctrina de la Iglesia sobre el derecho de enseñar*.
 - B. Lumbreras, O. P.: *Casos y lecciones del a Quijote*.
 9. Nazario de Santa Teresa, C. D.: *Filosofia de la mística*.
 10. Casas, O. P.: *Instrucción sobre los votos religiosos y el oficio divino*
 11. Gallego, O. P.: *Buda y el budismo*.
 12. Sertflanges, O. P.: *El orador cristiano*.
 13. Alonso Lobo, O. P.: *Laicología y Acdôn Católica*.
 14. Ramirez, O. P.: *El Derecho de gentes*.
 15. Delgado Varela, O. M.: *La Eucaristia, misterio de la vida*.
 16. Alvarez de Linares: *Dudas y je*.
 17. González, C. M. P.: *El instinto intelectual, Juente del conocimiento*
 18. Splazzl, O. P.: *Esencia y contemporaneidad de la Iglesia*.
 19. Basilio de San Pablo, O. P.: *El misterio de nuestra redención*.
 20. Jean Mouroux: *Sentido cristiano del hombre*.
 21. Gregorio Armas, O. S. A.: *La moral de San Agustin*.
 22. Lumbreras, O. P.: *Honradez y prosperidad*.
 23. Lumbreras, O. P.: *La obediencia*.
 24. Fernández Landa: *Tratado de Apologética*.
 25. McFadden, O. S. A.: *Etica y medicina*.
 26. Lumbreras, O. P.: *Psicología de las pasiones*.
 27. Michel: *Niños que mueren sin bautizar*.
 28. Lhermitte: *Místicos y falsos místicos*.
 29. Fabbl: *La confesión de los pecados en el cristianismo*.
 30. Faniani, O. P.: *Teologia para seglares (4 vols.)*.
 31. Fernández, C. M.: *De confcsariis filiarum caritatis*.
 32. Fernández, C. M.: *La Administración económica de las religiones*
 33. Dota Juan Antonio Pascual: *El misterio litúrgico de la Semana Santa*
 34. Victorio Marcozzi, S. J.: *Los origcncs del hombre*.
 35. Eustaquio Guerrero, S. J.: *Reflexiones sobre la previa censura civil*
 36. Santiago Leoz Cendoya: *Ante la segunda revolución técnica.—Productividad, dignidad de la persona y relaciones humanas*.

CASUS CONSCIENTIAE

11

EIUSDEM AUCTORIS

PRAELECTIONES SCHOLASTICAE, vol. XII, in 8.º

- I. *De fine ultimo hominis*, Madrid, 1954, pp. X-120
- II. *Da actibus humanis*, Romae, 1950, pp. XI-299.
- III. *De habitibus et virtutibus in communi*, Romae, 1950, pp. XVI-281.
- IV. *De vititis et peccatis*, ed. 2, Madrid, 1958, pp. XII-198.
- V. *De lege*, Madrid, 1953, pp. XI-193.
- VI. *De gratia*, Romae, 1947, pp. XII-191.
- VII. *De fide*, Romae, 1937, pp. XII-199.
- VIII. *De spe et caritate*, Madrid, 1954, pp. XII-256.
- IX. *De prudentia*, Madrid, 1952, pp. XI-120.
- X. *De iustitia*, Romae, 1938, pp. XVI-456.
- XI. *De statibus hominum variis*, Madrid, 1958, pp. XII-224.
- XII. *De statibus hominum variis*. Madrid, 1958, pp. XII-224.

CASUS CONSCIENTIAE, in 8.º

- I. *De principiis*, Madrid, 1960, pp. XVIII-268.

CASOS Y LECCIONES DEL QUIJOTE, ed. 2.ª Madrid, 1952, pp. 208.

LA CONTINENCIA PERIODICA, Madrid, 1956, pp. 42.

HONRADEZ Y PROSPERIDAD, Madrid, 1957, pp. 42.

LA OBEDIENCIA, Madrid, 1957, pp. 103.

PSICOLOGIA DE LAS PASIONES, Madrid, 1958, pp. 182

LARRAGA-LUMBRERAS

Prontuario de Teologia Moral, Madrid, 1950, pp. 596-599.

Epitome de Teologia Moral, Madrid, 1953, pp. 680.

CASUS CONSCIENTIAE

ANTIQUI ET RECENTIORES

QUOS SOLVIT ET COLLEGIT

PETRUS LUMBRERAS, O. P.

APUD «ANGELICUM» DE URBE SUMMAE THEOLOGICAE PROFESSOR
AD S. APOLLINAREM CASUUM MORALIUM CENSOR
DATARIAE APOSTOLICAE THEOLOGUS
SACRAE PAENITENTIARIAE CANONISTA

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

LIBRARY
ST. MARY'S COLLEGE
ST. MARYS, KANSAS

EDICIONES STUDIVM
MADRID

PONTIFICIUM ATHENAEUM «ANGELICUM.
ROMAE

Nihil obstat:
Ludovicus Bender, O. P.
S. Th. Mag.

Imprimi potest:
Fr. Michael Browne, O. P.
Mag. Gen.

Imprimatur:
E Vicarlatu Urbis, 10 mail 1960.
* Aloysius, Card. Traglia,
Provicarius.

^77

6 3 2 6 9

IX

N.» Registre : 1553-60.

Deposito legal: M, 1.650.—1960.

Bolano» j Atrailnr, S. L. - General Sanjurjo, 20. - Madrid, 1961

SOI£9

nop

L. S.

Materiam morum, de qua Prima Secundae tractavit in communi, complet Secunda Secundae in speciali; potissimum quidem secundum ea quae in prosecutione beatitudinis attinent universaliter ad omnes homines, inde secundum ea quae respiciunt quosdam dumtaxat pro ipsorum statu vel officio.

Tractationem illam copiosam distribuit D. Thomas, non (ut fecerunt plurimi) ad praecepta Decalogi, sed ad notissimas septem virtutes, idque propter rationes validas quas longe et late exposui in periodico Angelicum, vol. 20, anno 1943, pp. 265-299.

In virtutibus eminent profecto theologicae, quae non modo sunt infusae divinitus et una propterea revelatione notae, sed habent insuper Deum obiectum proprium; his igitur datur locus princeps.

Qui inter ipsas esset signandus caritati, perfectionis si teneremus ordinem. At praevaluit ordo generationis firmatus ab Apostolo (I Cor., 13, 13).

Trinum ergo tractatum volumen hoc complectitur: de fide, de spe, et de caritate. Sectatus Aquinatis vestigia, agam de peccato blasphemiae, quod plures relegant ad peccata contra religionem, atque de bello internationali vel civili, saepe commisso dissertatorii de iustitia.

Romae, in festo S. Pii V, die 5 maii 1960.

Auct or

INDEX

DE FIDE

	nn.
Actus fidei internus.....	1-12
Doctrina	1-2
Causus I: Fidel late dictae ad salutem insufficientia.....	3-6
C. II: Confessarius non interrogans paenitentes an elicuerint actus fidei.....	7
C. III: Ebrietati indulgens ob omissum actum fidei...	8
C. IV: Omittens actum fidei internum dum fidei emittit professionem praeceptam.....	9
C. V: Positive dubitans de veritate fidei.....	10
C. VI: Denegans revelationes S. Birgittae vel apparitiones Virginis ad Lourdes.....	11
C. VII: Non genuflectens ante Tabernaculum quia non credit ibi asservari Corpus Christi.....	12
Fides explicita	13-25
Doctrina	13-15
Causus I: De paenitente qui iam a longo tempore oblitus est mysteriorum Incarnationis et Trinitatis..	16-20
C. II: De baptismo et absolute ignorantis invincibiliter existentiam et providentiam Dei.....	21
C. III: Quid in casu necessitatis.....	22
C. IV: Cur tunc apponatur condicio «si es capax».....	23
C. V: De iis qui mysteria Incarnationis et Trinitatis ignorare videntur.....	24
C. VI: Paenitens ignorans quae ex necessitate praecepti credenda sunt.....	25
Fidei confessio seu actus externus.....	26-42
Doctrina	26-30
Causus I: Sacerdos silens coram dogma fidei negante et athelsum praedicante.....	31-35
C. II: Caupo removens a diverticulo sacras imagines.	36

	na.
C. III: Edens carnes in locis haereticorum ne catholicus agnoscatu.....	37
C. IV: Catholici a communistis adducti ut ecclesias evertant et sanctorum Imagines deponant, mutilent, comburant.....	38
C. V: Haereticus vel paganus volens fidem amplecti at timens temporalia incommoda ob fidei publicam professionem .	39
C. VI: Alumnus qui falsas doctrinam professoris tenetur exponere in examine.....	40
C. VII: Catholicus qui ob timorem Turearum abstinet ab externis religiosis actibus dum Missam audit...	41
C. VIII: Redimens pecunia ne de eius fide inquisitio fiat	42
I n f i d e l i t a s	43-62
Doctrina	43-49
Causus I: Num quis possit sine peccato a fide catholica deficere	50-54
C. II: An sit par condicio haeretici qui convertitur et catholici qui a fide deficit.....	55
C. III: Paenitentes de dubiis in fide se accusantes...	56
C. IV: Num sit haereticus qui reiicit quod falso putat definitum ab Ecclesia.....	57
C. V: Utrum falsae religionis professio requiratur ad apostasiam	58
C. VI: Haeretici absolutio ab excommunicatione et dispensatio ab irregularitate.....	59-61
C. VII: Dogma assumptionis B. M. V. pertinaciter discredens	62
D i s p u t a t i o c u m i n f i d e l i b u s	63-73
Doctrina	63-65
Causus I: Disputatio formalis de fide cum condicione iniqua	66-68
C. II: Disputatio de fide materialis.....	69
C. III: Disputatio cum Infideli de re physica.....	70
C. IV: Id. de regiminis civilis forma optima.....	71
C. V: Id. de dogmatibus socialismi.....	72
C. VI: Disputatio formalis de fide in ephemeride.....	73
C o m m u n i c a t i o i n f i d e l i u m i n s a c r i s f i d e l i u m	74-87
Doctrina	74-76
Causus I: Auxilium praestandum schismatico moribundo aut mortuo.....	77-79

	nn.
C. II: Num baptismus, eucharistia et externa unctio sint a schismaticis petenda.....	80
C. III: Num absolutio in mortis periculo.....	81
C. IV: Utrum vel extra.....	82
C. V: Ministratio missae ab acatholicis.....	83
C. VI: Cantus puellarum schismaticarum In functio- nibus nostris.....	84
C. VII: Organi pulsatio ab acatholico in ecclesiis nos- tris	85
C. VIII: Facium ac luminarium delatio ab acatholicis ad functiones nostrasliturgicas.....	86
C. IX: Haereticorum admissio in Societates S. Vin- centil de Paul.....	87
Communicatio fidelium in sacris infidelium.....	88-100
Doctrina	88-89
Causa I: Catholicus apud schismaticos missam audiens, praeceptum Implens paschale, matrimo- nium iniens.....	90-92
C. II: Catholicus adorans Eucharistiam a schismatico delatam	93
C. III: Assistentia sacris infidelium a civili auctori- tate imposita.....	94
C. IV: Participatio in orationibus schismaticorum.....	95
C. V: Num liceat catholico conciones audire haere- ticorum	96
C. VI: Vel fungere patrini munere in baptismis hae- reticorum vel schismaticorum.....	97
C. VII: Vel interesse ipsorum nuptiis.....	98
C. VIII: Vel illorum funera comitari.....	99
C. IX: An hoc liceat parochi catholico.....	100
Communicatio fidelium cum infidelibus in profanis.....	101-114
Doctrina.....	101-106
Causa I: Catholicus efformans syndicatus mixtos vel neutros	107-109
C. II: Matrimonium mixtum meditatus.....	110
C. III: Filios mittens ad scholas neutras.....	111
C. IV: Id. si hae habeant cappellanum catholicum...	112
C. V: Famulatus apud acatholicos.....	113
C. VI: Num liceat nomen dare associationi «Rotary Club»	114
Fidelium adscriptio communismo	115-127
Doctrina	115-116

Casus I: Adscriptus syndicatui communistarum a quo nequit recedere.....	117-119
C. II: Communista non excluditur a matrimonii cele- bratione	120
C. III: Quo secernatur matrimonium ab aliis sacra- mentis	121
C. IV: Quid si pars catholica velit nubere communi- stae doctrinario.....	122
C. V: Quid autem si communistae gregario.....	123
C. VI: Quid si utraque pars sit comunista doctri- narius	124
C. VII: Parentes tradentes filios scholis communi- starum	125
C. VIII: Pueri et puellae scholas huiusmodi frequen- tantes	126
C. IX: Harum scholarum magistri.....	127
Baptismus filiorum infidelium.....	128-139
Doctrina	128-129
Casus I: Offerens sacerdoti catholico filium baptizan- dum sic ut fiat Christianus, non tamen catholicus.	130-133
C. II: De fictione baptismi petiti propter motiva Inepta	134
C. III: De baptismo puerorum infidelium tempore pestis	135
C. IV: De baptismo horum puerorum, morti etsi pro- ximorum, periculoso Ecclesiae.....	136
C. V: De baptismo eorum qui videntur adhuc parvuli.	137
C. VI: De baptismo amentium sub condicione.....	138
C. VII: De amentium baptismo prudenter conferendo.	139
Blasphemia	140-155
Casus I: Proferens indignabundus verba «per Deum, per Christum» et provocans ebrios ad blasphemias.	144-147
C. II: Quae locutiones sint blasphemae.....	148
C. III: In dubio, quomodo se gerat confessarius.....	149
C. IV: Nomen Dei vel sacrorum proferens ex ira in creaturas	150
C. V: Iurans per vitam Dei vel Sanctorum.....	151
C. VI: Dicens «renego Deum nisi te percussero; hoc est ita verum sicut Deus».....	152
C. VII: Blasphemantes in ira sed non attendentes ad verborum sensum.....	153

C. VIII: Blasphemantes sine intentione dehorandi Deum	154
C. IX: Blasphemiae prolatae interlectionum instar...	155
Blasphemia in Spiritum Sanctum.....	156-168
Doctrina	156-159
Causa I: Peccati ex malitia reus confessionem putat Inutilem	160-162
C. II: Cur odium Dei non numeretur in peccatis contra Spiritum Sanctum.....	163
C. III: Quare neque impaenitentia finalisnegativa...	164
C. IV: Cur tamen impaenitentia positiva.....	165
C. V: Diabolo attribuens Dei manifesta opera quare peccet peccato speciali eoque irremissibili.....	166
C. VI: Confessio peccati ex habitu voluntarie contracto et scienter non retractato.....	167
C. VII: Timens ne primo peccet in Spiritum Sanctum.	168

DE SPE

Spei necessitas.....	169-182
Doctrina	169-172
Causa I: Anhelantes perpetuitatem vitae terrenae.....	173-176
C. II: Sperantes beatitudinem obtinere sanctorum patrocinio	177.....
C. III: Sperantes in propriis meritis, illisque futuris...	178
C. IV: Sperantes temporalia a Deo.....	179
C. V: De omissione actuum spei sese accusantes.....	180
C. VI: Magna promissio facta S. Marg. M. Alacoque...	181-182
Spei honestas.....	183-194
Doctrina	183-186
Causa I: Amor interessatus erga Deum estne improbandus sicut amor quo avarus fertur in divitias?...	187-189
C. II: Amans Deum amore mercenario.....	190
C. III: Amans Deum amore concupiscentiae num se diligit plus quam Deum.....	191.....
C. IV: Agere propter officium et agere propter praemium	192.....
C. V: Adveniente amore caritatis manet amor spei...	193
C. VI: Perfecta caritas mittit foras timorem, non atamen amorem interessatum.....	194.....

	nn.
Timor dei.....	195-210
Doctrina	195-200
Causus I: Momentum timoris et amoris Dei pro vitandis peccatis et obtinenda perfectione.....	201-204
C. II: Se accusantes de timore mundano vel humano.	205
C. III: Peccans ex timore mundano num dupliciter peccet	206
C. IV: Timor serviliter servilis, quando adsit.....	207
C. V: Et quando non adsit.....	208
C. VI: Timor servilis, an causet involuntarium secundum quid... ..	209
C. VII: Utrum in timore servili maius sit odium inferni quam peccati.....	210
Desperatio	211-226
Doctrina	211-215
Causus I: Femina post preces et conatus desperans ac propterea se peccatis involvens.....	216-220
C. II: Desperatio perfecta quomodo ab imperfecta discernatur	221
C. III: Miles sibi mortem exoptans.....	222
C. IV: Desperationis causa physiologica vel psychologica	223
C. V: Materculus filius luxuriosus beatitudinem relinquit	224
C. VI: Desperatio eius cui revelatio fieret de damnatione aeterna.....	225
C. VII: Desperans de precum auditione pro recuperanda sanitate.....	226
Praesumptio	227-242
Doctrina	227-230
Causus I: Paenitentiam ad finem vitae differens quod tam facile sit Deo decem remittere peccata atque quinque	231-234
C. II: Num praesumens minuat revera potentiam Dei.	235
C. III: Non sperans gratiam et gloriam per Mariam V.	236
C. IV: Sperans veniam sine confessione sacramentali.	237
C. V: Sperans tantam gratiam et gloriam quantam obtinuit B. Virgo.....	238
C. VI: Orans pro auxilio Dei in patrandi homicidio...	239
C. VII: Peccans sub spe veniae post annum obtinendae	240
C. VIII: Peccans venialiter quod venialibus Deus facile Ignoscit.....	241

C. IX; Multiplicans peccata quia ita facile confitetur decem ac unicum.....	242
--	-----

DE CARITATE

Dil ect io Dei.....	243-255
Doctrina	243-246
Causus I: Femina se accusans quod plus amet conlugem quam Deum.....	247-250
C. II: Omittens actum caritatis cuius praeceptum ur- gebat indirecte.....	251
C. III: Deum diligens ob beneficia ab Eo recepta.....	252
C. IV: Ob amorem uxoris abstinens a malo, a quo non abstineret ob amorem Dei.....	253
C. V: Se accusantes de inobservantia praecepti dile- ctionis Dei.....	254
C. VI: Odio habens poenas divinitus inflictas num habeat odio Deum.....	255
Dil ect io nostri.....	256-272
Doctrina	256-259
Causus I: Ob nimiam velocitatem in competitione automotoria morti se exponens.....	260-264
C. II: Dolens fuisse creatum, destinatum ad caelestem patriam, etc.; malens esse bestiam.....	265
C. III: Monialis tristata de assistentia ad chorum.....	266
C. IV: Femina tristata de bonis operibus non prae- ceptis	267
C. V: Excedens in cibo et potu.....	268
C. VI: Usus morphii aliorumque narcoticorum.....	269
C. VII: Virgo attrectationem medici prae morte ab- horrens	270
C. VIII: Religiosus qui ob mortificationem corporis se inhabilem reddit ad religionis munera.....	271
C. IX: Corpus diligens plus quam animam.....	272
Dil ect io proximi.....	273-286
Doctrina	273-276
Causus I: Num quisque sentiat naturae lure atque rationis ductu se esse prae proximo diligendum...	277-279
C. II: Diligens proximum quia Deus mandavit aut propter eius qualitates naturales bonas.....	280
C. III: Optans gratiam et gloriam potioem proximis quam sibi.....	281

	r η
C. IV: Boni spiritualis sacrificium pro proximo an licitum sit et valeat praecipere.....	282
C. V: Num mater teneatur periculosissimam subire operationem pro prole baptizanda.....	283
C. VI: An, deficiente parochi, quilibet sacerdos debeat sacramenta ministrare iis qui peste laborant.	284
C. VII: Num iniusto aggressori parcere teneamur ne in peccato decedat.....	285
C. VIII: Fervens mortem cupiens filiorum et mariti...	286
Dil ect io inimicorum.....	287-302
Doctrina	287-292
Causa I: Inimicum dum a longe videt iter mutans.....	293-295
C. II: Se accusantes de inimicitia.....	296
C. III: Deponere recusans odium grave.....	297
C. IV: Pristinam amicitiam totaliter abrumpens.....	298
C. V: Non valens bonum velle inimico nec iniuriae oblivisci	299
C. VI: Parentes, propter gravem offensam, filium non alloquentes et e domo elicientes.....	300
C. VII: Inimicum deferens ad iudicem ut puniatur...	301
C. VIII: Alumni seminarii se invicem non amplius alloquentes	302
Caritas in quaestione sociali.....	303-315
Doctrina	303-304
Causa I: Parochus perpetuo praedicans caritatem.....	305-309
C. II: Num caritas sit summa sive compendium Evangelii	310
C. III: Cur tamen non sufficiat.....	311
C. IV: Opus iustitiae, pax.....	312
C. V: Benevolentia sine caritate.....	313
C. VI: Status beneficentia loco caritatis.....	314
C. VII: An socialismus sit praeter Ecclesiam efficacior...	315
Eleemosyna	316-329
Doctrina	316-319
Causa I: Eleemosynam differens, post mortem erogandam	320-323
C. II: In extrema necessitate num sit danda notabilis.	324
C. III: In gravi necessitate, an totum superfluum donandum	325
C. IV: Quanta sit danda communiter indigentibus...	326
C. V: Se excusans ob taxam Status pro pauperibus...	327

C. VI: Se excusans quod a nullo rogatur	328
C. VII: Praebens laborem Indigentibus...	329
Fraterna correptio et denuntiatio.....	330-345
Doctrina	330-333
Causus I: Corruptores in collegiis.....	334-338
C. II: Noscens peccatum condiscipuli sed notum superiori	339
C. III: Correptionis zelo explorans proximorum peccata	340
C. IV: Dubitans num frater emendabitur.....	341
V: Correptio eius qui ex ignorantia peccat.....	342
VI: Scrupulosi, num ad correptionem teneantur...	343
VII: An ipsi peccatores.....	344
VIII: Utrum subditus ad corripiendum superiorem.	345
Belli MORALITAS	346-360
Doctrina	346-349
Causus I: Oblectores conscientiae.....	; 350-354
C. II: Paci bellum anteponentes.....	355
C. III: Num causa belli iusta sit incrementum nationis exterae.....	356
C. IV: An saltem denegatio spatii vitalis vel rerum vitae necessariorum.....	357
C. V: Usus pyroboli atomic! in civitatem apertam...	353
C. VI: Vel contra civitatem machinantem bellum in nos	359
C. VII: Utrum captivi in bello sint puniendi.....	360
Perturbatio regiminis tyrannici.....	361-376
Doctrina	361-366
Causus I: De bello civili, seditione et tyrannicidio.....	367-371
C. II: Num sine iniuria et infidelitate possit populus insurgere contra tyrannum regimine.....	372
C. III: An resistentia activa huiusmodi tyranno sit ad legalia media coangustanda.....	373.....
C. IV: Resistentia illegalis bellica fuitne a D. Thoma reprobata?	374
C. V: Quae resistentia sit, pro casibus, adhibenda...	375
C. VI: Cuius sit indicare de opportunitate et liceitate belli in tyrannum regimine	376
Scandalum	377-392
Doctrina	377-383
Causus I: Scandalum ex ornatu feminae	384-386

	nn.
C. II: Quid non sit scandalum.....	387
C. III: Accusatio scandali.....	388
C. IV: Publice blasphemans, an reus scandali.....	389
C. V: Pater qui furto gravi dat occasionem filio pa- trandi furtum leve.....	390
C. VI: Vir et uxor se mutuo scandalizantes.....	391
C. VII: Publici scandali reparatio.....	392
Passivi scandali permissio.....	393-407
Doctrina	393-39G
Casus I: Pravorum periodicorum venditorem dam- nificans	397-401
C. II: Patronus quoad augmentum salarii ne operarii blasphemant, et parochus quoad iurium stolae re- missionem ne parochiani obtreptionibus indul- geant	402
C. III: Num, ne maritus blasphemet, teneatur uxor a domnicall missa abstinere.....	403
C. IV: An puella teneatur evitare conspectum viri a quo turpiter concupiscitur.....	404
C. V: Utrum liceat ab alio petere quod hic non prae- stabit sine peccato.....	405
C. VI: An liceat occasionem peccandi alteri non prae- cludere, immo et apponere.....	406
C. VII: Num liceat alterum ad peccandum sollicitare, quantumvis fecte.....	407
Imagines obscenae.....	408-416
Doctrina	408-409
Casus I: Statuas obscenas collocans in horto.....	410-411
C. II: Num sint obscenae Imagines pro usu scientiae.	412
C. III: An imagines idealisticae.....	413
C. IV: Cur non liceat exponere humanam pulchritu- dinem	414
C. V: Motus in hominem ut imaginem Del.....	415
C. VI: Pingens amasio concubinam.....	416
Spectacula indecentia	417-430
Doctrina	417-419
Casus I: Dissimulans Ingressum mhnorennlum in aulam cinematographlcam et negligens notas ec- clesiasticae commissionis.....	420-424
C. II: Num actores et actrices sint absolvendi.....	425
C. III: Cur spectacula quaedam permissa adultis sint vetita adolescentibus.....	426

	xrx
	nn
v. IV: Filios adolescentes secum ducens In publica theatra	427
C. V: Uxoratus frequentans spectacula «dissuadenda»	428
C. VI: Iuvenis frequentans spectacula «exclusa».....	429
C. VII: Adistentia scenae cum dubio positivo futuri lapsus . ,.....	430
Certamina pulchritudinis	431-439
Doctrina	431-433
Causa I: De concessione theatri municipalis pro cer- tamine moderno pulchritudinis.....	434-435
C. II: Certamen pulchritudinis pro ludo religioso.....	436
C. III: Fictio pulchritudinis in certamine quo puella donetur civitatis nomine.....	437
C. IV: Periculum vanitatis atque Invidiae In his cer- taminibus	438
C. V: Periculum exaggerandi momentum pulchritu- dinis	439
Libri pravi.....	440-451
Doctrina	440-442
Causa I: Legens ac retinens haereticorum libros.....	443-446
C. II: Retinens librum haeretici donec nactus sit oc- casione vel ipsum tradendi sacerdoti vel licen- tiam sibi impetrandi.....	447
C. III: Legens librum historicum a materialista con- scriptum	448
C. IV: Alumnus legens et retinens libros prohibitos quoniam iubetur a magistro.....	449
C. V: Legens librum non obscenum, parum tamen honestum	450
C. VI: Legens libros romanenses.....	451
Cooperatio ad malum.....	452-464
Doctrina	452-455
Causa I: Ministrans medico operationem illicitam pe- ragenti	456-459
C. II: Quid quoad Sorores in hospitalibus.....	460
C. III: Cooperans, sub metu mortis, furto vel In- cendio	461
C. IV; Cooperans ad devastandos agros ne dominus occidatur	462
C. V: Medicinam vendens quae adhibetur ut pluri- mum pro abortu	463

C. VI: Inventor unguenti pro sanando vel praeveniendo morbo gallico.....	464
Cooperatio famulorum.....	465-475
Doctrina	465-467
Causus I: Aduvans dominum admercesadulterandas.	468-470
C. II: Carnes parans domino transgressori legis abstinentiae	471
C. III: Deferens concubinae herilitteras amatorias.	472
C. IV: Herum adiuvens ut ascendat ad stuprandam virginem	473
C. V: Approbans et iuvans dominum ad mercium adulterationem	474
C. VI: Libros scribens mercatoris pravi.....	475
Cooperatio cauponum.....	476-488
Doctrina	476-478
Causus I: Cellas non denegans pseudo coniugibus, choreas et ludos aleatorios permittens.....	479-483
C. II: Liquorem praebens ebrietatiproximis.....	484
C. III: Cibos esuriales difficile ministrans.....	485
C. IV: Cibos vetitos ministrans pensionatis.....	486
C. V: Cooperatio ad fractionem ielunll.....	487
C. VI: Exponens diaria religioni atque bonis moribus adversa	488
Cooperatio artificum et mercatorum.....	489-501
Doctrina	489-491
Causus I: Pharmaca suppeditans ad impediendam prolem	492-494
C. II: Opii cultura atque commercium.....	495
C. III: Ephemeridi praevae collaborans.....	496
C. IV: Res venales nuntians In pravis periodicis.....	497
C. V: Pravae ephemeridi dans nomen.....	498
C. VI: Vendens folia communlstlca.....	499-500
C. VII: Deferens emptoribus pravos libros emptos.....	501
Cooperatio ad ritus infidelium.....	502-514
Doctrina	502-50G
Causus I: Advocans ministrum acathollicum pro moribundo	507-508
C. II: Agens munus paranyphi In nuptiis haereticorum	509
C. III: Gubernator navis preces e libro haereticorum recitans.....	510

C. IV: Solvens contributionem pro paganorum festi- vitate		511
C. V: Vendens animalia pro usu superstitioso.....		512
C. VI: Res vendens quae pro usu non superstitioso fictae petuntur.....		513
C. VII: Vendens chartam praeparandam pro supersti- tione		514
Index Auctorum.....	Pa?	327
Index alphabeticus rerum.....	PaS-	32^

DE FIDE

I. ACTUS FIDEI INTERNUS

Doctrina.

Actus internus fidei audit mentis assensum—seu 1
adhaesionem firmam—veritati revelatae divinitus ob
unam revelantis Dei auctoritatem. Sed, prout obiectum
voluntatis est bonum, in quod atamen nisi propositum
non fertur voluntas, sic obiectum fidei—verum—oportet
intellectui proponatur qui assensum praebeat. Proposi-
tio igitur et obiectum concurrunt ad actum credendi:
obiectum, ut *quod* creditur; propositio autem veluti *con-*
ditio sine qua non creditur obiectum.

Porro qui non habemus revelationem immediatam
credimus revelata divinitus sed proposita nobis per alios
homines; talis est enim ordo Providentiae ut Deus nempe
pertingat ad media per suprema, ad infima per
media.

Sed hic homo, minister propositionis credendorum,
necesse est constituatur infallibilis, infallibilis nempe in
cognoscendo—ne fallatur iudicans revelatum quod Deus
non revelavit—et infallibilis in dicendo—ne fallat dans
uti revelatum quod novit Deum non revelasse; alias ete-
nim fides nostra non esset categorica—credo Deum esse

trinum in personis—, sed hypothetica—credo Deum esse trinum, id si Deus umquam revelavit.

Haec infallibilitas quoad propositionem credendorum data est Ecclesiae. Nos ergo credimus quae Deus revelavit (obiectum formale *quod* et materiale), quia Deus revelavit (motivum seu obiectum formale *quo*) et quia Ecclesia proposuit (condicio sine qua non). Quapropter D. Thomas: «Formale obiectum fidei (nostrae) est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris et doctrina Ecclesiae» 1; et quidem «in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intellectis sane» 2.

- 2 Quia «sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum» (Hebr. 11, 6), actus internus fidei est omnibus adultis necessarius necessitate medii, et quidem ex intrinseca rei natura, ut tendant nempe in Deum auctorem gratiae et gloriae. Igitur, quantumcumque involuntarie omissus, salutem aeternam officit.

Est insuper adultis necessarius necessitate praecepti' *per se* quidem, seu vi praecepti fidei—cuius igitur omissio peccatum est, quamvis alterius virtutis nullum praeceptum urgeat—: a) cum fidei dogma sufficienter proponitur, seu de eius revelatione satis constat; b) post amissionem fidei per infidelitatis grave peccatum; c) saepius in vita (Den. 1166 s, 1215), de frequentia quantumvis necessaria opiniones auctorum variae—nam alii actum fidei urgere dicunt singulis hebdomadis, alii singulis mensibus, alii singulis annis aut ter quaterve in anno—; d) in casu tentationis contra fidem, fidei actu vincendae; e) quoties instat praeceptum de emittenda fidei professione (29); et f) pro nonnullis—quorum ratio non videtur sufficiens—in mortis articulo.

per accidens, seu vi praeceptorum aliarum virtutum

* S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 5. 3.

« Id., l. c., 2m.

—quorum transgressio igitur peccatum est conira has virtutes, non tamen contra fidem—, quoties vel illa praecepta impleri vel tentationes contrariae superari nequeant nisi elicitio fidei actu.

C a s u s p r i m u s .

Ne dicamus salutem impossibilem tot illis adultis 3
quot per saecula, puta prae Americae inventione, nullum Ecclesiae missionarium seu praedicatorem audierunt—dixit enim Apostolus (Rom. 10, 14): «Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?»—, censet Pontianus saluti satis fieri fide late dicta. Deus etenim, hic asserit, sicut loquitur nobis in Scripturis, ita quoque in creatis Qui ergo Deum attingit ex testimonio creaturarum, innititur pariter testimonio Dei. Quin propterea, subiungit Pontianus, ad salutem aeternam pronuntietur actus naturalis idoneus; verum assensus quem Deo per creaturas se revelanti tribuitur elicitur sub influxu gratiae et ideo fit actus supernaturalis.

Quid de hac sententia Pontiani?

Solutio

Fides late dicta nullatenus sufficit ad salutem. Fides 4
etenim salutaris uno innititur Dei revelantis testimonio; et ideo excludit evidentiam intrinsecam, motivum dumtaxat extrinsecum agnoscens; porro cognitio Dei ex creaturis est cognitio scientifica. pariens intrinsecam, quantumvis mediatam, evidentiam: quapropter assensus scitis necessarius est, creditis autem liber.

Sed et fides quae fingitur inniti locutione Dei per creaturas non nisi methaphorice innititur divino testi-

monio: effectus etenim ut effectus signat equidem materialiter potentiam sive virtutem causae—qui deambulat est capax deambulandi—; non est tamen formaliter signum mentis causantis—non deambulamus, uti plurimum, ad ostendendam nostram potentiam deambulandi—; igitur neque proprie ibi habemus locutionem. De cetero revelatio divina, qua fides nititur necessaria ad salutem, mansit, etiam post mundi creationem, actio Dei liberrima.

Ideo Innocentius XI hanc damnavit propositionem: «Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit» (Denz. 1173). Et Vaticana synodus definivit: «Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur: A. S.» (Denz. 1811).

Neque sufficit influxus gratiae ut actus ex sese naturalis reddatur supernaturalis: actus etenim specificatur ab objecto; quapropter cum obiectum fidei late dictae sit naturale prorsus, naturalis omnino manet quantumcumque sub gratiae influxu praedicetur elicitus. Caret igitur virtute iustificandi quam Apostolus (Rom. 3, 28; 5, 1), Patres atque Concilia actui fidei divinae adiudicant.

- 5 Nec tamen cogimur illos omnes adultos, quorum salutem vult expedire Pontianus. fide caruisse quam nos exigimus. Omnes enim populi, de quibus hucusque ethnologia, religionem positivam coluerunt, cuius videlicet exordium a divina quadam revelatione petitur. Haec certo revelatio primordialis fuit sensim sine sensu, temporum decursu, valde in illis populis corrupta; substitit tamen nucleus integer seu medula sana, fundamentalis duplex veritas de existentia et providentia Dei (cf. 13).

Utrumque credere illi populi valuerunt quoniam divinitus revelatum patribus

Porro cum hi patres, quibus revelatio divina facta fuit—agatur de primo homine, de patriarchis, de prophetis—, fuerint ministri infallibiles propositionis—sicut modo est Ecclesia—, nihil deerat illorum populorum adultis, quotquot acceperant educationem religiosam de necessariis ad credendum—prout crediderunt Iudaei in lege veteri et crediderunt atque credunt Iudaei qui sunt in bona fide post Christi adventum—: habebant etenim et obiectum credendum propter auctoritatem Dei revelantis, et obiecti propositionem consentaneam.

Difficultas coangustaretur ad puerum aliquem enutritum in silvis vel inter animalia qui ad rationis usum pertingeret absque ulla instructione religiosa. De quo tamen puero D. Thomas: «Ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ¹.

Alii casus.

C. II.—Silvius, confessarius, non solet interrogare paenitentes num actus fidei elicuerint cum urgebat praecipuum. ⁷

Sol.—Non est ideo carpendus confessarius; omnium

¹ Ope r a n, *Le problème du salut des infidèles*, Essai théologique p. 113 ss., ed. 1934.

² S. Thomas. 14 *de verit.*, 11 1m.

etenim ore sufficit actus fidei exercitus seu qui sinceram protestationem importet fidei, uti genuflexio ante Tabernaculum—non enim genu fleteret qui non crederet—, recitatio orationis dominicae—quae fidem exprimit de existentia et providentia Dei. Ideo Prümmer: «Fideles (Christiane viventes abunde satisfaciunt huic praecepto per diversa exercitia religionis quae solent perficere»

- 8 C. III.—Dionysius confitetur se contra praecepta fidei peccasse quod non elicuit fidei actum, v. gr., de Deo peccatorum vindice, quando tentabatur ad ebrietatem.

Sol.—Si hanc tentationem poterat absque fidei actu superare, non tenebatur Dionysius noster ad eliciendum actum fidei. Verum in hypothese quoque alia, peccatum, si tentation! induisit, fuit dumtaxat contra sobrietatem (I, 211).

- 9 C. IV.—Iustinus, parochus, se confessario accusat quod fidei professionem in susceptione beneficii emisit at exterius tantummodo, sine assensu videlicet interno iis quae labiis promebat.

Sol.—Quoties Ecclesia exigit fidei professionem, haec certo certius sincere est emittenda seu cum interno assensu; non enim hic agitur actus mere internus, cum internus consensus tribuat orali prolationi quod haec sit professio seu sincera manifestatio propriae fidei potius quam lectio materialis seu enarratio eorum quae catholica credit Ecclesia. Obiective igitur loquendo, Iustini agendi modus non vacat a peccato, quod ideo submittendum est clavibus. Subiective atamen potuit Iustinus excusari, si putabat et actus mere internos exulare a potestate Ecclesiae et internum in casu assensum coniungi accidentaliter cum professione externa (I, 326 s.).

› Prümmer, *Th. Mor.*, I, 502, ed. 1931.

C. V.—Hippolytus contendit fas esse catholico, si eius mentem serium dubium de fidei veritatibus subeat, ipsum studiose perspicere et interdum fidei assensum suspendere. 10

Sol.—Catholicus potest quidem uti dubio ficticio in examine motivorum credibilitatis atque obiectionum contra fidem; praevidet autem cum noverit motiva esse sufficientia et obiectiones dumtaxat apparentes, animo paratus sit ne recedat a fide ob examinis infelicem exitum. Ita cum theologus quaerit, v. gr. utrum sit ponere plures personas in divinis, non suspendit assensum fidei, sed fidei venatur intellectum; hunc licet non obtineat, obiectionibus quamvis solutionem non inveniat, fides omnino est salva scienti revelata mysteria captum humanum superare atque, si quid repugnet divinae veritati, hoc proculdubio erroneum \

C. VI.—Methodius, cum amicis loquens, omnem denegat fidem sive revelationibus S Birgittae sive apparitionibus B. Virginis ad Lourdes. Quo audito nonnulli scandalizati sunt et Methodium increparunt uti haereticum (48). 11

Sol.—Quoniam in neutro casu adest infallibilis propositio Ecclesiae, nec illae revelationes nec hae apparitiones sunt nobis fidei divinae obiectum. Ibi S Birgitta potuit falli, saltem quoad interpretationem revelatorum atque expressionem seu manifestationem revelationis. Hic autem Ecclesia apparitiones B. Virginis proponit uti historice comprobatas, humana fide dignas. Auditores igitur iure scandalizati sunt ob Methodii imprudentiam: iniuria tamen ipsum increparunt quasi haereticum

» «Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant» (I Cor., 10. 23). Cum autem obiectiones saepius prae solutionibus infirmorum animum concutiant, pluribus periculosum ipsum ficticium dubium. Sed scientibus assensus suspensionem illicitam liquet dubitationem realem vetitam.

- 12 c. VII.—Ingressus paroecialem ecclesiam Julianus ideo a genu flectendo abstinet pertinaciter quod non credit in Tabernaculo asservari sacratissimum Corpus Christi. Hinc plures e fidelibus Julianum apud parochum de haeresi (48) denuntiant.

Sol.—Si Julianus ita se gerit quod non credit sub speciebus panis rite consecrati adesse Corpus Christi, tunc quidem denegat fidei dogma et iure denuntiatur de haeresi. Si tamen eius agendi ratio exinde provenit quod, dubitans, v. gr., de probitate parochi, putat parochum missam celebrare absque intentione consecrandi, tunc peccabit forsitan ob indicium temerarium de parochi, sed non peccat contra fidem, quippe quae non docet hanc determinatam hostiam esse valide consecratam.

II. FIDES EXPLICITA

Doctrina.

- 13 Fides explicita dicit mentis assensum veritati divinitus revelatae apprehensae secundum proprios terminos; et opponitur fidei implicitae quae assensum mentis nominat veritati revelatae divinitus prout contentae in revelata quadam universaliori veritate secundum proprios terminos apprehensa. Sic qui credit explicitate Christum esse perfectum hominem, credit implicitate Christum habere voluntatem humanam.

Et necessitate quidem mediis adulto est necessarium (ex intrinseca rei natura) credere explicitate Deum esse atque remuneratorem esse; alias foret illi impossibilis necessarius motus in Deum, gloriae atque gratiae auctorem (2). Ideo Innocentius XI hanc damnavit propositionem: «Non nisi fides unius Dei necessaria videtur

necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris» (Denz. 1172).

Disputatur inter theologos num, post Evangelium promulgatum, sit quoque, necessitate medii, adulto necessaria (ex positiva Dei ordinatione) fides explicita Incarnationis et Trinitatis. Id asserunt plures e Thomistis, quorum sententia, etsi probabilitatis terminos non exsuperet, in sacramentorum administratione est universaliter a cunctis adhibenda, utpote tutior. Hinc in propositionibus damnatis ab ipsomet Innocentio XI haec numeratur: «Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore...» (Denz. 1151). Quapropter Congr. S. Officii, ad quaestionem: «Utrum, antequam adulto conferatur baptisma, minister ei teneatur explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei praecptum fuerit», respondit (25 ian. 1703): «Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis» (Denz. 1349a). Ad quaestionem pariter: «An possit baptizari adultus rudis et stupidus, ut contigit in barbaro, si ei detur sola Dei cognitio et aliquorum eius atributorum, praesertim iustitiae remunerativae et vindicativae..., quamvis non credat explicitate in Iesum Christum», reposuit (10 mail 1703): «Missionarium non posse baptizare non credentem explicitate in Dominum Iesum Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis, quae sunt necessaria necessitate medii iuxta captum bap-

zandi» Iure igitur Marc: «Peccat confessarius, absolvendo (extra casum necessitatis) eum qui ignorat praedicta mysteria, cum sacramentum periculo nullitatis exponat» 2.

Necessitate vero praecepti tenentur: a) omnes quidem fideles explicite credere praecipuos fidei Christianae articulos, eos saltem, quoad substantiam, qui in symbolo ponuntur; ideo peccant sub gravi si recte respondere nesciant de his articulis³; et peccant venialiter, iuxta plures, qui (rudes maxime) memoriter non retinent verba symboli, b) maiores fidelium—quorum officium est fidei veritates alios docere et eos qui contradicunt ar-

1 Dcnz. 1349b.—Hinc ad quaesitum: «Utrum missionarius conferre possit baptismum in articulo mortis mahumedano adulto, qui in suis erroribus supponitur in bona fide:

1. Si habeat adhuc plenam advertentiam, tantum illum adhortando ad dolorem et ad confidentiam, minime loquendo de nostris mysteriis, ex timore, ut ipsis non crediturus sit.

2. Quamcumque habeat advertentiam, nihil ei dicendo, cum ex una parte supponitur illi non deesse contritionem, ex alia vero prudens non esse loqui cum eo de nostris mysteriis.

3. Si iam advertentiam amiserit, nihil prorsus ei dicendo».

Idem S. Officium respondit (30 mart. 1898):

«Ad 1 et 2: Negative, i. e. non licere huiusmodi mahumedanis... sive absolute sive condionate administrare baptismum; et dentur decreta S. Officii ad episc. Quebecensem sub die 25 Ian. et 10 Maii 1703 (quae dedimus in textu). Ad 3: De mahumedanis moribundis et sensibus iam destitutis respondendum ut in deer. S. Officii 18 sept. 1850 ad episc. Perthensem; idest: Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eandem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub condicione, quatenus tamen missionarius cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit» (Denz. 1966a).

* Marc, *Inst. Mor.*, I, 427, ed. 1927.

3 Noldin, *Th. Mor.*, II, 12, ed. 1932.—«Quae tamen minoris momenti in symbolo continentur, tantum obligatoria sunt sub levi, uti virginitas *perpetua* B. M. V.; circumstantiae temporis: sub Pontio Pilato, tertia die, Christi sepultura et descensus ad inferos, et sessio ad dexteram Patris; *Judicium de vivis et mortuis*; communio sanctorum, etc.» (Merkeibach, *Th. Mor.*, I, 709, ed. 3).

guere—tenentur ad pleniorē fidei notitiā seu ad fidem magis explicitam l.

Casus primus.

Postquam in annua confessione peccata declaraverat, 10
Sebaldus a confessario interrogatus de Incarnationis et Trinitatis notitia, «haec omnia, inquit, bene noveram quando parvulus primam recepi Communionem; at postea eorum penitus oblitus sum». Rogatus iterum num in praecedentibus confessionibus umquam fuerit examinatus de Christiana doctrina, «semel tantum resoondit, cum matrimonium nempe contraxi; quin tunc (adiunxit) temporis parochus meam obiurgaverit ignorantiam». Quapropter confessarius: «Venias ad me intra hebdomadam; instruam te de necessario credendis et dominica proxima, ad confessionale redeuntem et peccata modo confessa iterum declarantem, te absolvam perlibenter».

1 Testis veteris disciplinae, D. Thomas paucis est ut plurimum, contentus. Ab obicctionem namque: Laid requirunt legem de ore sacerdotis, ergo hic debet habere scientiam totius S. Scripturae, respondit: «Sacerdos habet duos actus; unum principalem supra corpus Christi verum; et alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Secundus autem dependet a primo, sed non convertitur. Et ideo aliqui ad sacerdotium promoventur quibus committitur primus actus tantum: sicut religiosi quibus cura animarum non committitur. Et a talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant. Et ideo talibus sufficit si tantum de scientia habeant quod ea quae ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum; et a talium ore populus legem requirit. Unde scientia legis in eis debet esse; non quidem ut sciant omnes difficiles quaestiones legis, quia in his debet ad superiores recursus haberi; sed ut sciant ea quae populus debet credere et observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet episcopos, pertinet ut etiam ea quae difficultatem in lege facere possunt, sciant: et tanto magis, quanto in maiori gradu collocantur» (*Summa Theol.*, Suppi. 36, 2, Im).

Quaeritur:

1. Num quae Sebaldo imposuit confessarius recte imposuerit.

2. An debuisset ulterius ei imponere praeteritarum confessionum iterationem.

Solutio

il *Ad Im.*—Quoad catechetica quidem instructionem absolutioni praemitendam, affirmative: absolvens enim ignorantem duplex illud mysterium exponeret sacramentum nullitati; neque enim agebatur casus eousque urgens in quo nixus principio «Sacramenta sunt propter homines» posset ignarum Sebaldo sub conditione absolvere. Sed nec taliter urgebat absolutio (prout constat ex consensu paenitentis et ex praesumpta confessarii prudentia) ut illa indispensabilis instructio esset ipso confessionis tempore tradenda. Protracta tamen infra hebdomadam haec instructio ultra duplex illud mysterium porrigenda est, ad ea videlicet quae paenitens oportet credat modo explicito etiam necessitate praecipi: occasionem expedit non dimittere.

1 «Si vero (confessarius) timeat ne non redeat, vel ne cum eadem ignorantia iterum accedat, ut saepius conicere fas est, eum instruere et ad absolutionem disponere debet. Tunc autem non erit necesse ut paenitens memoriter omnia credenda sciat, sed satis est ut illa sciat quoad substantiam. Proponat igitur illi confessarius praecipuos fidei articulos, et de singulis cum eo actum fidei eliciat, et postea eum adhortetur ut deinceps eadem melius addiscere velit, et tandem ei absolutionem impertiat» (Ferreres, *Casus Conse.*, I, 186, ed. 1920).—«Talem autem doctrinam confessarius patiens et prudens paenitenti ingerere poterit, illi proponendo praecipuos fidei articulos, ita ut ad singulos actum fidei exercent, v. gr., sequenti modo: Credis quod Deus sit unus in essentia et trinus in personis, etc., sicut Ecclesia credit?... Credis Filium Dei pro nobis fuisse incarnatum, passum, mortuum, et esse Redemptorem nostrum?... Credis in genere quicquid credit Sancta Romana Ecclesia?» (Id., *ib.*, II, 662).

Quod attinet ad peccata modo confessa iterum declaranda, confessarius videtur modum excessisse. Nam si proxima die dominica ipse recordabitur, saltem in confuso, peccatorum modo auditorum, paenitens satisfaceret si diceret «Accuso iterum peccata in confessione praecedenti declarata» (adiciens tantum culpas graves post ipsam commissas aut in ipsa oblitas). Quod si confessarius non meminerit, post hebdomadam, neque in confuso, status paenitentis, tunc, ad plurimum placitum, accusatio generalis sufficeret ut licite absolvat recordatus paenitentiae forsitan impositae vel quam paratus erat imponere; immo ut valide (iuxta omnes) quin et licite (iuxta plures) dummodo confessarius recordetur se statuisse absolutionem dare—uti in praesenti casu, in quo perlibenter absolutionem se daturum dicit. 18

Ad Ilm.—Distinguamus oportet inter confessiones anteriores et posteriores nuptiis. 19

Anteriores quidem non sunt de necessitate repetendae. Licet enim parochus respuere a matrimonio nequeat eos quos detegit ignorantes vel primorum doctrinae Christianae elementorum | si instructionem renuant; attamen improbable omnino est si Sebaldum tunc temporis detegerit taliter ignarum, eius non obiurgaverit parochus ignorantiam.

Quod ad confessiones posteriores secernamus, claritatis gratia, quas Sebaldus fecit ante et post oblivionem illorum mysteriorum: non etenim credendum est fundamentalia ista mysteria statim post matrimonii cele-

1 Ad dubium: «Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae Christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem». Pont. Commissio respondit: «Parochu: servet praescriptum can. 1020, ? 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponso ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae Christianae elementa; quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066» (AAS, 10 [1918], p. 345)

brationem excidisse a memoria. Dum notitiam mysteriorum retinuit, confessiones validae exstiterunt, ex hoc capite; nec propterea sunt iterandae.

20 Quid vero de confessionibus subsequentibus? Iuxta probabilistas, ipsarum iteratio debet quidem suaderi, imponi tamen nequit: nam, cum sententia negans necessitatem fidei explicitae illorum mysteriorum maneat extrinsece solide probabilis, confessiones huiusmodi certo invalidae nequaquam fuerunt. Iuxta ceteros autem, repetendae sunt: urget enim atque possidet lex seu obligatio confessionis, validae profecto, cui per confessionem probabiliter tantum validae Sebaldus non satis fecit.

At difficultas in casu practica: Quot e confessionibus matrimonio posterioribus erunt, in hac sententia altera, repetendae? Si confessarius posset attingere, ex Sebaldi narratione, longam vitae periodum in qua paenitens sacro, sermonibus atque religioni valedixit—puta quia immigravit in regionem longinquam ibique prorsus incuriosus religionis per annos mansit—, facilis ipsi determinatio anni ex quo Sebaldi confessiones manent dubie validae; has ideo imponat omnes iterandas, quippe quas (moraliter) certo constat fuisse probabiliter nullas. Si tamen periodus illa numquam exstitit—quia Sebaldus quotannis paschale praeceptum adimplevit permanens in patria—, omni cum careat regula confessiones dubie validas definiendi, confessarius abstineat a confessionum praeteritarum, imponenda repetitione: non enim certo (moraliter) sibi constat quaenam ex illis validae et quaenam fuerint probabiliter nullae.

Alii casus.

21 *C. II.*—Potestne baptizari vel absolvi adultus qui ignorat, etiam invincibiliter, existentiam Dei finis supernaturalis et remuneratoris?

Sol.—Negative. Nam «cum ille qui ignorat existentiam Dei finis supernaturalis et remuneratoris sit incapax iustificationis et certo indispositus, numquam ipsi possunt dari sacramenta etiam Baptismi vel Pœnitentiæ. Imo confessiones peractæ cum ignorantia etiam *invincibili* harum veritatum sunt nullæ (defectu contritionis) ac proinde repentendæ» *.

C. III.—Hermippus, parochus, petit a theologo quid 22 sibi sit agendum in vero casu necessitatis cum adultis qui mysteria Incarnationis et Trinitatis penitus ignorant?

Sol.—«[I]n casu vero necessitatis, dato quod impossibile omnino sit eum instruere, satis est ad Baptismum (adulto) conferendum, ut aliquo modo ostendat se iisdem (mysteriis) assentire, serioque promittat se Christianæ religionis mandata servaturum (can. 752 § 2); absolvi etiam potest sub condicione *si tu es capax*: cum enim Sacramenta sint propter homines, licet uti opinione tantum probabili quoad valorem sacramentorum, ubi agatur de moribundi aeterna salute; quamvis, si moribundus postea convaluerit, instruendus sit de his mysteriis et iterum absolvendus; baptismus autem, etiam in hoc casu, iterari non debet, quia baptismus, ex solo defectu fidei in subiecto, certo validus est, licet sine effectu quoad collationem gratiæ» 2.

1 Merkelbach, l. c. n. 708. Animadverberat autem (n. 707): «non sufficere cognitionem Dei ut finis et remuneratoris naturalis: licet enim non requiratur ut distincte et formaliter cognoscamus tamquam supernaturalem finem aut remunerationem, tamen debemus credere remunerationem *quæ de facio est supernaturalis*». Et adiunxerat: «practice in hoc non esse difficultatem: quicumque fide propter auctoritatem Dei revelantis credit Deum esse et remunerari, eo ipso credit Deum *se supernaturali modo revelantem*, i. e. nobiscum communicantem ultra exigentias naturæ, et credit Deum remuneratum remuneratione quam oia revelatione promisit».

* Fanfani, *Th. Mor.*, II, 12.

23 C. IV.—Rei, uti putat, novitate Hermippus commove-
tur: Ad quid, inquit, apponere condicionem illam «si es
capax», cum Innocentius XI damnaverit (Denz. 1214)
hanc propositionem: «Absolutionis capax est homo, quam-
tumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiam si
per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium
SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Iesu Christi»?

Sol.—Respondent Salmanticenses: «Per hanc proposi-
tionem non damnatur sententia, licet nobis contraria,
quae docet fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis
esse tantum necessariam necessitate praecepti ad salu-
tem... Et ratio est: qui ad verificandam prohibitionem
dictae propositionis sat est quod cognitio et scientia my-
steriorum Trinitatis et Incarnationis sint praeceptae
praecepto vel divino vel ecclesiastico...; nam hoc ipso
quod aliquis illorum ignorantia vincibili laboret, indi-
spositus accedit et ita est omnino absolutionis incapax»

24 C. V.—Gerontio parrocho quandoque accedunt pueri
confirmandi vel paenitentes absolvendi qui mysteria SS.
Trinitatis et Incarnationis ignorare videntur. Etenim
interrogati quae persona SS. Trinitatis facta sit homo,
respondent *Pater*. Hos rudes utrumque mysterium edoce-
re conatus est Gerontius. sed cum advertat eos, ubi ad
confitendum redeunt, puta post annum, aequae crassa
ignorantia infici, dubitat num debeat eos singulis vicibus
interrogare et edocere antequam eos absolvat.

Sol.—Gerontius tenetur omnes qui sacramenta susce-
pturi sunt et mysteria illa ignorari videntur, *breviter
edocere*. Neque animum despondeat quia rudes brevi do-
ctrinam acceptam *oblivioni* tradunt: brevissima enim
instructio quae ad haec mysteria proponenda sufficit,
multos fructus feret, si eo saltem momento quo sacra-
mentum suscipiunt, fidem habeant qua gratiam conse-

» Salmanticenses Mor., tr. 21, cap. 2, n. 20.

quantur. Insuper caveat Gerontius ne *facilius existimet* haec mysteria prorsus ignorari ab omnibus qui fidei suae rationem reddere nequeunt ob loquendi imperitiam vel animum perturbatum. Sic Genicot \

C. VI.—Sed quid, subdit Gerontius, si paenitens cognoscat quidem veritates explicite credendas de necessitate medii, ignoret autem ea quae sunt explicite credendae de necessitate praecepti? 25

Sol.— «Confessarius eum absolvere non debet nisi serio ac sincere promittat quantocius se ea addicturum; aliter remittendus tamquam indispositus, utpote nolens, neque in praeparatione animi, praeceptum adimplere in re gravi» Ita Fanfani².

III. FIDEI CONFESSIO SEU EXTERNUS ACTUS

Doctrina.

Quoad actum exteriorem habet fides duplex praeceptum: aliud, negativum, externam fidei negationem vetans; aliud, affirmativum, iubens fidei externam confessionem seu professionem. 26

Praeceptum illud negativum obligat semper ac pro semper: nam, ubi signum respondeat menti, locus erit infidelitati (43 ss.); ubi vero menti non respondeat, aderit mendacium idque iniuriosum Deo nec infrequenter proximo perniciosum. Quapropter Dominus: «Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo» (Mt. 10, 33).

Numquam igitur, nec ad mortem quidem vitandam.

* Genicot, *Casus Cons.*, 30, ed. 1928.

² Fanfani, l. c.

licet fidem negare sive verbis—negando se Christianum, catholicum, etc., asserendo se iudaeum, protestanticum, etc.—, sive factis—v. gr. immolando idolis, accipiendo circumcisionem quatenus ritum religiosum., sumendo cenam calvinisticam.

Nulla ergo tempore fas erit signis uti vel vestibus quae unice vel primario—ex natura rei. institutione humana et adiunctis—sunt protestativa falsae religionis. Nefas pariter testimonium emere unde appareat falsam quem profiteri religionem.

- 27 Nec licet, consequenter, falsam religionem vel fidem *simulare*. Hinc S. Congr. de Prop. Fide, ad quaesitum: «Utrum, attendita istius gentis (Sinensis) fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales Gubernatores Christiani deferant quandam Crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, et facere (intentione non ad idolum sed ad Crucem directa), omnes illas genuflexiones, reverentias et adorationes ante altare illud, exterius tantum et fecte; omnem cultum interius et in corde ad Crucem dirigendo? Quia si huiusmodi Gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apostatabunt a fide, quam relinquunt officium regiminis», respondit (12 sept. 1645): «Nullatenus licere Christianis huiusmodi actus publicos cultus aut reverentiae tribuere idolo praetextu vel intentione Crucis, quam vel manu gestant vel in altare inter flores abscondunt»¹. Quam quidem responsionem confirmavit² Benedictus XIV, Constitutione «Ex quo singulari» (5 iul. 1742), cuius valorem non modo disciplinarem esse, verum et doctrinalem declaravit S. Congr. S. Officii, die 5 aug. 1891 a.

¹ *Collectanea S. C. de Propaganda Fide*, n. 114, ed. 1907.

² *Ibid.*, n. 339.

³ BüCceroni. *Enchir. Mor.*, n. 356, p. 39, ed. 1905.

Quin propterea sit perpetuo damnanda verae fidei *dissimulatio* vel occultatio: nam ubi praeceptum fidem exterius profitendae, de quo statim, non urgeat, et intercedat proportionata causa, licitum erit fidem, quem ad modum et alias veritates, signis ambiguis tegere. 28

Potiori ergo ratione fas erit fugere persecutorem fidei: qui enim persecutorem fugit, fidem potius confitetur quam neget—paratus enim fidem abnegare non fugeret.

Praeceptum affirmativum fidei exterius profitendi, 29
urget iure divino et ecclesiastico.

Iure quidem divino «quando per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, vel etiam utilitas proximis impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide»¹. Propterea in Codice I. C.: «Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi» (can. 1325 § 1). Porro silentium aequipollet negationi fidei si, ubi plures de fide interrogantur et alter pro te respondet te non esse catholicum, ipse taces; pariter, si ipse taces dum in colloquio quispiam te exhibet adversarium fidei, nisi modus te habendi aliam causam silendi manifestet². Adest religionis contemptus ubi quis die vetito carnes ederet quas alter edendas offert in religionis odium—nisi praemittat ille et protestionem sui obsequii erga Ecclesiam et excusationem quam necessi-

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 3. 2.

² Interdum inconstantia atque erubescencia acquipollent, moraliter, fidei negationi. Sed «manifestare meram formidinem non est per se grave, contra atque indicium dare negationis vel inconstantiae» (Vermeersch, *Th. Mot.*, II, 20, ed. 1928).

tas secum fert ab abstinentiae lege—. Taciturnitas et tergiversatio dicunt iniuriam Deo dum quis a publica auctoritate de fide quaeritur; damnata fuit etenim propositio: «Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuo confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno» (Denz. 1168); at si civilis lex quaestiones huiusmodi vetuerit, interrogatus potest ob interrogantis incompetentiam, declinare responsum. Scandalum, demum, proximi ibi profecto adest ubi, pastoribus fugientibus, latitantibus vel silentibus, committeretur fidelis populus periculo apostasiae 2.

- 30 Iure ecclesiastico professio fidei urget non modo baptizandos, sed et revertentes ab haeres! vel apostasia <can. 2314 § 2) immo et fideles quibuscum loquitur can. 1406. Praescriptum abiurationis Modernismi manet pro tempore in suo vigore, iuxta responsum S. Officii 3.

Casus primus.

- 31 Marcus sacerdos, cum forte in quodam hominum coetu versaretur audiretque ex illis quendam liberioris linguae inferorum poenas negare, siluit ac recessit; tum quia diffidebat se posse allatis argumentationibus vim levare earumque falsitatem clare aperire, tum quia puta-

1 «Idem dicendum, si quis *in odium fidei* etiam a privata persona interrogatur, in iis saltem adiunctis in quibus silentium negationi fidei aequivaleret» (Tanquehey, *Th. Mor.*, II. 650. ed. 1931).

J Quidam petunt fidei confessionem aliquoties in vita ob nostram incorporationem ad Ecclesiam, societatem visibilem. Et quidem Tanquehey (l. c.) loquitur de praecepto divino: Noldin vero (*Th. Mor.*, II. 17, ed. 1932) de praecepto ecclesiastico. Omnes tamen concordant illi praecepto satis fieri per observationem aliorum praeceptorum quae externam fidei professionem continet, v. gr., per auditionem sacri, per sacramentorum susceptionem, etc.

« AAS. 10 (1918), p. 136.

bat se recedendo impiam temeritatem improbasse atque exprobasse.

Alia vice adfuit duobus atheis, qui coram Christianis de Dei negatione diffuse praedicabant. Quid ille? Eorum caecitatem publice, omnibus audientibus, miseratus, illico discessit.

Quaeritur: Num Marcus recte se gesserit?

Solutio

Liquet Marci silentium et rationem agendi non ae- 32
quipollere in casu nostro negationi fidei: habentur potius ab omnibus adstantibus pro signo molestiae et displicentiae et ideo pro fidei confessione: discessit enim atque publice misertus est atheismi praeconum caecitatem quod cum garrulis illis minime consentiebat. Nec adfuit religionis contemptus, quoniam Marcus non provocabatur contra fidem vel Ecclesiae praeceptum.

Quaestio igitur: num Marci silentium et ratio agendi secumferrent iniuriam Dei vel scandalum proximi.

Quoad primam partem Noldin: «Si te praesente doctrina fidei vel ecclesiae irrisioni vel blasphemiis exponatur, non solum fidem profiteri, sed eam, si te ad id sufficientem iudicas, etiam defendere teneris..., nisi praevideas conatus tuos nihil profuturos»¹ et Merkelbach: «Ille qui audit fidem impugnari debet contradicere si potest vel impugnantibus imponere silentium, vel profiteri fidem, si haec indicantur utilia et profutura»².

Quoad partem alteram D. Thomas: «In casu neces- 33
situdinis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium

¹ Noldin, l. c., n. 16.

² Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 713, ed. 3.

sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem»¹. In modernis Tanqueray: «Ex caritate tenemur impedire, in quantum fieri potest, ne proximus magnum spirituale damnum incurrat; necessaria est igitur professio fidei quoties, ex eius omissione, aliquis a fide avertitur aut retardatur, vel aliquo magno spirituali commodo privatur, dummodo aliter bono proximi provideri nequeat, v. gr., si ex tali omissione neo-conversi aut debiles in fide scandalizarentur»².

Patet autem officium huiuscemodi, quod est omnium fidelium³, ministros sacros prae ceteris urgere, ipsi licet curam animarum nullam habeant: nam potiore adepti sunt culturam theologiam et maiori prorsus auctoritate gaudent; unde et possunt magis prodesse. Quapropter Noldin: «Qui alios contra fidem loquentes vel catholicam religionem irridentes atque calumniantes audit, per se contradicere eosque monere tenetur, ne eis consentire videatur; si tamen aut peiores calumnias aut sibi gravia incommoda timet, tacendo non peccat. Sacerdos autem in tali casu, praesertim inter catholicos, vix unquam tacere poterit: nam eius taciturnitas scandalum

¹ S. Thomas, l. c., 2m.

² Tanqueray, l. c.

» «Depuis que la société a cessé, du moins pratiquement, d'être officiellement chrétienne, et en vertu des faux principes qui la régissent aujourd'hui, la licence de parler ou d'écrire contre les choses de la foi ne connaît plus des bornes. On peut dire que la foi des faibles est dans un continuel danger et que l'honneur de Dieu dans la vérité de ses affirmations est sans cesse outragé dans les conversations dans les discours, dans les publications de toute sorte qui sont jetées à profusion un peu près partout. C'est donc aujourd'hui, pour tout vrai fidèle, un devoir sacré, qu'il peut avoir à remplir à tout instant, de venger les droits de la vérité divine et de protéger la foi des autres. Il demeure entendu qu'il devra le faire avec prudence et selon ses moyens; mais l'obligation existe rigoureuse, qui peut avoir à être remplie un peu partout et presque pour tous» (Pegues, *Comm. fr. iitt. de la Somme Thcol.*, t. X, P- 113).

esset et erroris confirmatio; insuper facilius admonitionis fructus sperari potest» l.

Inde consequitur Marcum sacerdotem fortasse recte 34
egisse dum e coetu tacitus discessit in quo quis liberioris
linguae inferorum poenas negabat: non enim satis no-
vimus rerum adiuncta, num ageretur nempe coetus fi-
delium aut infidelium potius. Quapropter difficile est
scitu num Marcus ex fidei defensione poterat sperare
utilitatem aliquam vel fructum. Sed ponamus adstantes
infideles; in quo casu, cum quae proferre valeat Marcus
argumenta non sint—ob defectum sive dexteritatis sive
scientiae—satis valida quae inanes esse probent obiectiones
a garrulo praecone allatas contra fidei dogma, illa
proferens confirmabit adstantes in errore. Ponamus,
contra, plures ex adstantibus fideles, quorum fides peri-
clitaretur circa dogma ab oratore temere reiectum; tunc
quidem, quantumvis diffideret se posse allatis argumen-
tationibus vim levare earumque inanitatem clare ostendere,
potuit Marcus et debuit id saltem proclamare, inferni
poenarum existentiam, nullis etiam suffultam rationis
argumentis, esse tamen firmiter et constanter tenendam
propter auctoritatem Dei revelantis—qui nec potest fallere
neque falli—, fideique meritum non in evidentiā collocatum
sed in obscuritate vel mysterio Denique si fidelium
adstantium nullum erat periculum timendum, recte putavit
Marcus se recedendo impiam temeritatem satis improbasse
atque exprobasse.

Verum quando discessit dum athei diffuse praedicabant 35
de Dei negatione coram Christianis, ut hi videlicet a fide
averterentur, Marcus aegre liberatur ab omni culpa: nisi
auditores enim sint multum in fide roborati, vel putent
sacerdotem propterea publice fuisse misertum

l Noldin, l. c., n. 20.

praedicatorum caecitatem quod ipse multo potiore his eruditione pollet, quos propterea despicit, eius agendi ratio non vitat Christianis auditoribus periculum; potuit ac debuit praedicationi illi vim levare eiusque falsitatem aperire, cum existentia Dei tot ac tam apertis argumentis constet ut Cone. Vaticanum definiverit eam naturali rationis lumine certo cognosci posse (Denz. 1806), «adeoque demonstrari etiam», iuxta iusiurandum anti-modernisticum (Denz. 2145).

Alii casus.

- 36 C. II.—In suo diverticulo ad litus maris Richardus, quamvis catholicus, quascumque sacras imagines amovendas curavit, cum hoc necessarium putet ne acatholici clientes repellantur. Estne carpendus?

Sol.—Caupo non tenetur habere imagines sacras in diversorio; potest igitur iam habitas remove, non quidem ex contemptu, sed ne acatholici clientes repellantur. Sed nec tenetur fidem suam catholicam ad omnes omnibusque signis profiteri; dum igitur ob imaginum remotionem non habeatur a ceteris uti apostata non prohibetur ex hoc capite id agere quod egit. Excessit tamen modum, quascumque sacras amovens imagines: plures sunt etenim, arte mira confectae, fidelibus et infidelibus gratissimae. His quinimmo servatis si nonnulli acatholicorum repelluntur, plures e catholicis saltem invitantur.

- 37 C. III.—Faustinus saepe transit per loca haereticorum. Peccatne contra fidem dum in hospicio publico carnes vetitas edit ne catholicus agnoscat?

Sol.—Negative, si hoc faciat ex metu gravis mali et sine scandalo in fide, «cum usus carni», prout habet

Busembaum citatus a S. Alphonso¹, «non sit institutus ad professionem religionis, et catholici etiam, mali et gulosi, id faciant». Affirmative vero, si provocetur ad carnes edendas in contemptum Ecclesiae nec ulla manducandi carnes necessitate compellatur — necessitate namque compulsus, protestari debet se manducare carnes, non in contemptum Ecclesiae sed ob necessitatem, V. gr., quia nihil aliud manducandum habet.

C. IV.—Fervente persecutione religiosa, nonnulli ex 38 optimis catholicis, sub comminatione carceris et mortis, fuerunt a communism! fautoribus adducti non modo ut ecclesias funditus everterent sed ut statuas insuper Sanctorum de altaribus deponerent, mutilarent, comburerent. His in angustiis licebatne catholicis illis haec peragere?

Sol—Ad quaestionem huiusmodi Rodrigo: «Si improba communistarum manus exigat a civibus morte comminata, v. c. templorum, imaginum, rerum sacrarum aversionem, non sufficit quidem pro absoluta illicite cooperationis requisitae ut homines nefarii istis exigentiis intendant religionis ruinam et vilipendium, sed requiritur ut cooperatio aut ipsa in se sit inhonorativa, ut si exigatur turpis foedatio aut contumeliosa sive mutiatio sive similis tractatio, v. c. explodendo in imagines quasi in personas, etc.; —aut cooperatio exigatur vel aestimetur tamquam formalis participatio in contemptu rerum sacrarum, sic ostendendo religioni nullum esse habendum honorem et aestimationem, vel etiam tamquam medium quo impii homines turpius sacra violent, quod accidit si talia imponantur quaesite personis religiosis et piis uti talibus, —aut etiam, his seclusis, ut cooperatio, licet in se mere materialis, tale commune

¹ S. Alphonso, *Th. Mor.* II, 15, ed. Gaudé.

scandalum generet quo Christiana fides aut religio graviter deiciatur in adhaesione et aestimatione penes fideles aut etiam infideles: idque praesumitur normaliter eventurum, praesertim in locis missionum et maxime dum a missionariis ipsis illa cooperatio praestatur ad tyranni exigentiam» \

- 39 C. V.—Laurus, missionarius qui totis viribus incumbit paganis et haereticis ad Ecclesiae sinum adducendis, postulat a theologo quid ibi sit agendum ubi haereticus vel paganus, volens fidem catholicam amplecti, impediatur a publica fidei professione, ob magna inde secutura temporalia incommoda.

Sol.—«Aliquis haereticus aut paganus, qui vult veram fidem amplecti, sed hoc publice praestare non valet sine magnis incommodis temporaneis, potest clam coram duobus testibus discretis in gremium Ecclesiae recipi. At vero post conversionem, licet sit dispensatus a praeceptis positivis divinis et ecclesiasticis quae sine gravi incommodo impleri nequeunt, tamen non potest amplius perficere actus qui sunt professio haereseos aut paganismi, ut e. gr. recipere coenam protestanticam, matrimonium contrahere coram ministro acatholico. munus ministri acatholici exercere, signa deferre idololatriam significantia, etc. Posset tamen alia peragere quae non sunt directa professio fidei heterodoxae, ut e. gr. visitare templa haereticorum, assistere funeri non catholico, immo una alterave vice assistere sermoni acatholico, dummodo tamen desit periculum perversionis aut scandalii». Ita Prümmer 2.

1 Rodrigo, *De legibus*, n. 434. ed. 1944.

« Prümmer, *Th. Mar.*, I. 507. ed. 1931.—«Diu tamen occultatio (fidei) illicita est, tum quia urget obligatio profitendi fidem, tum quia in praxi fieri nequit, quin mox adiuncta occurrant, in quibus conversus fidem negare et sectam exterius profiteri debeat. Ideo statutum est (S. C. de

C. VI.—Lucidius, qui altioribus disciplinis studet, cum 40
in eo est ut pericula subeat, confessarium interrogat an
sibi liceat, si de his quaestio ponitur in examine, doc-
trinas professoris proponere, quamvis noverit has con-
trarias dogmatibus Ecclesiae. Nam, etsi vellet erroribus
obsistere, scientiam nihilominus magistri veretur eius-
que indignationem timet, nec valet insuper condiscipu-
lorum irrisum continere.

Sol.—Quaestio est: num Lucidio dissimulare vel
occultare suam fidem liceat, simpliciter in examinibus
referendo et exponendo quid magister docuit, quin pro-
prium manifestet assensum aut dissensum. Et si qui-
dem magister in examinibus ipsum provocet deridens
catholicam doctrinam, tunc eius silentium vel tersi-
versatio habebitur facile pro erubescencia de fide catho-
lica. Si vero interrogetur num ipsemet admittat illas
doctrinas, posset omni prorsus iure respondere hanc
interrogationem exulare ab examinis ambitu. Si talia,
denique, non occurrunt, poterit referre illas doctrinas *ut*
in schola traditas, nisi malit responsionem exordiri his
vel similibus verbis: *iuxta biologos modernos...* Quoad
irrisiones condiscipulorum, confessarius animum accen-
dat Lucidii nostri, ut hic gloriatur de catholica fide et
talem se exhibeat verbo et opere: sic enim paulatim et
sensim sine sensu illorum aestimationem sibi acqui-
ret. Ita casum absolvit Damen *

C. VII.—Potestne a simulatae infidelitatis nota excu- 4!
sari subdola agendi ratio illorum qui, dum diebus sol-

prop. lide, 28 maii 1635) non posse admitti ad baptismum mahumeda-
num, qui propter vitae periculum vult Christianus occultus esse et
manere, sed illum debere se transferre ad loca, ubi possit publice Chris-
tianam religionem profiteri» (Noldxn, l. c., n. 17).

1 Damen, *De fidei professione*, in *Bolletino dei Clero Romano*, febr
1941.

lemnioribus Missae sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate turearum praesentiam formidantes, numquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo abstinentque a ceteris catholicae religionis actibus, qui ab aliis qui Christiano censentur nomine, palam solent exerceri?

Sol.—Negative; prout enim dicitur in decreto S. C. de Prop. Fide (19 febr. 1774) «ita agentes id obtinent, ut mahumeticae superstitionis sectatores reputentur» \

42 *C. VIII.*—Conradus, catholicus ditissimus, valet magna pecunia oblata obtinere ab officialibus Gubernii Ecclesiae infensissimi ne de ipsius fide inquisitio fiat. Licetne ei tali medio uti ad occultandam fidem?

Sol.—Affirmative sic enim agens vexationem redimit iniustam. Ideo Busenbaum, citatus a S. Alphonso ¹: «Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est; et saepe magna virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis».

IV. INFIDELITAS

Doctrina.

13 Infidelitas opponitur fidei quatenus haec nominat actum credendi seu internum revelatis assensum, et importat defectum fidei in sublecto capaci.

Hic autem defectus potest contingere dupliciter, per modum scilicet negationis et per modum contrarii. Infidelitas negativa seu materialis innuit fidei defectum penes illum qui, vel ex neglegentia, nihil de fide audivit,

¹ *Collectanea*, n. 501.

² S. Alphonsus, l. c., n. 14.

sufficienter saltem. Infidelitas contraria, sive positiva, sive formalis, dicit defectum fidei in eo cui sufficienter fides fuit proposita.

Infidelitas negativa non est peccatum: nam et Christus 44
asserit: «Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent» (Ioa. 15, 22) et Ecclesia hanc damnavit propositionem; «Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est» (Denz. 1068). De cetero huiusmodi infidelitas non importat contemptum divinae auctoritatis seu renisum divino testimonio, cum procedat ex insufficientia motivorum; prout non contemnit imperatoris iussum qui iussum contemneret proconsulis cuius ignorat legationem. Nemo, denique, peccat non faciens quod est sibi impossibile; at verbo Apostoli «quomodo credent ei quem non audierunt?» (Rom. 10, 14).

Infidelitas contraria, seu positiva seu formalis, pec- 45
catum est. Primo quidem, quoniam Dominus dixit: «Qui non crediderit, condemnabitur» (Mc. 16, 16). Insuper, quod importat contemptum divinae auctoritatis seu renisum divino testimonio; prout etenim «si aliquis crederet quod praeceptum proconsulis esset praeceptum imperatoris, contemnendo praeceptum proconsulis, contemneret praeceptum imperatoris» \ ita qui habens sufficientia motiva de Ecclesiae quoad revelatorum propositionem magisterio, contemnens Ecclesiam proponentem, ipsum contemneret Deum revelatorem. Contemnit autem tum qui veritatem revelatam negat, tum qui de veritate revelata dubitat.

Ob contemptum Dei revelatoris, infidelitas positiva importat, equidem directe, aversionem ab ipso Deo et propterea venit peccatum grave atque gravius peccatis

quae contra virtutes morales committuntur, quibus peccans detestatur directe ac principaliter res Dei—praecepta vel effectus—, Deum vero non nisi secundario et consequenter—qua latorem praeceptorum aut rerum causam.

- 46 Porro habitum fidei non quolibet amitti peccato gravi constat ex definitione Tridenti (Denz. 838); eum tamen amitti peccato infidelitatis, ipsa Tridentina synodus docuit pertransennam (Denz. 808). Amittitur autem peccato infidelitatis licet unico, nam vel unico dogmate negato aut in dubium revocato aufertur aut obiectum formale fidei aut condicio necessaria huius obiecti—qui enim e divinitus revelatis et ab Ecclesia definitis quaedam credit atque quaedam non credit, illa non amplius credit ob Dei revelationem et Ecclesiae propositionem—, porro sublato obiecto formali alicuius habitus aut sublata condicione sine qua illud obiectum non subsistit, habitus, qui specificatur ab obiecto, totus corrumpitur.
- 47 Quin propterea omnis actio hominis infidelis dicenda sit peccaminosa. Inter dona siquidem naturalia quae non aufert peccatum, sive originale sive personale, ipsum bene agere computatur; quapropter duplex haec fuit damnata propositio: «Omnia opera infidelium sunt peccata» et «Necesse est infidelem :n omni opere peccare» (Denz. 1025, 1298). Valet igitur infidelis, agens ut homo, facere quaedam opera naturaliter bona, licet non supernaturaliter meritoria. Quod si infidelis agat, non formaliter ut homo—cui naturalia manent—, verum ut infidelis—ex errore nempe suae infidelitatis—, tunc circumstantia pravae intentionis efficiet mala vel ipsa quoque opera quae bona aut indifferentia dicuntur ex obiecto. Quo quidem sensu intellegi possunt verba Apostoli: «Omne

quod non est ex fide, peccatum est» (Rom. 14, 23); nisi quis praeferat hunc alium: Omnis qui non est sub fide; sub peccato est—sub peccato nempe infidelitatis aut sub alio, originali saltem, peccato—; aut illum magis litteralem inagisque obvium: Omne quod est contra conscientiam, peccatum est.

Renisus fidei, quem infidelitas positiva nominat (45),⁴⁸ interdum est fidei nullatenus susceptae—infidelitas paganorum sive gentilium—, interdum est fidei susceptae quidem sed in figura—infidelitas iudaeorum—, et interdum est fidei susceptae in veritate—infidelitas haereticorum et apostatarum—. Coram Ecclesia fides suscipitur in veritate per baptismum. Ideo in Codice I. C.: «Post receptum, baptismum si quis, nomen retinens Christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide Christiana totaliter recedit, apostata: si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris ei subiectis communicare recusat, schismaticus est» (can. 1325, § 2).

Porro, quantumcumque schismaticus non sit, per se loquendo, haereticus, nam schisma opponitur caritati potius quam fidei \ atamen «fere semper schismatici sunt quoque haeretici, cum non solum oboedientiam Ecclesiae capiti detrectent, sed etiam unum alterumve articulum fidei negent (praesertim primatum Summi Pontificis)»². Eos propterea inter haereticos ideoque inter infideles numerabimus; nam infidelitatem sumimus generice, aliud nisi ex contextu vel stylo³ apareat.

¹ S. Thomas, l. c., H-II, 39, 1, 3m.

³ Prümmer, *Th. Mor.*, I, 509, ed. 1931.

¹ «A catholici, secundum terminologiam in Codice receptam, vocantur omnes qui Ecclesiae auctoritatem non agnoscunt: infideles, ii tantum qui baptismum non receperunt» (Chelodi, *Ius de personis*, n. 37, ed. 1942).

- 49 Iure canonico: apostatae a fide, haeretici et schismatici sunt irregulares ex delicto (can. 985, n. 1); incurrunt etiam excommunicationem latae sententiae (can. 2314, § 1, n. 1), eamque speciali modo Sedi Apostolicae reservatam (*ib.*, § 2).

C a s u s p r i m u s .

- 50 Florentinus, sacerdos, valde propterea angitur quod audierit nonnullos viros, tam rudes quam eruditos, a fide defecisse aut ex improvise aut pedetentim, licet rectam gererent conscientiam; immo quod novit aliquem qui in Seminario secum studiis incubuit theologicis qui post annos a susceptis Ordinibus discessit ab Ecclesia, ratus prorsus sincere se ad id fuisse compulsus stimulis conscientiae. Timet igitur Florentinus noster ne ipse, sine peccato, a fide umquam deficiat atque extra gremium Ecclesiae Catholicae decedat.

Quaeritur: An possit quis a fide sine peccato deficere.

Solutio

- 51 Quaestio in casu, facietenus simplex, triplici aequipollet: An qui, callens motivis sufficientibus, fidem amplexus est propositam Ecclesiae magisterio seu praestitit assensum veritatibus ab Ecclesia propositis tamquam divinitus revelatis et credendis, valeat decursu temporis illum assensum retractare seu a fide deficere non peccans cum assensum retractat seu a fide deficit—instar infidelis materialis seu negativi—; et quatenus affirmative: An saltem peccavit necessario priusquam deficeret—ita ut defectio consequens habenda sit poena peccati praecedentis—; et quatenus affirmative: Cuius-

nam speciei dicemus hoc peccatum—contra virtutem fidei aut contra quamlibet aliam virtutem? x.

Plurium si stamus testimonio qui a fide defecerunt, 52
admitamus oportet defectionem exstisise inculpabilem
*in se*¹. De cetero, cur non valet is qui fidem amplexus
est, conscius motivorum credibilitatis, horum motivorum
oblivisci, eaque si relative tantum sufficientia fuere,
postmodum infirma, quinimmo et falsa iudicare? Non
ergo peccat cum a fide deficit \

Peccavitne pridem? De illo Vaticana synodus expres-
se: «Benignissimus Dominus... eos, quos de tenebris
transtulit in admirabile nomen suum, in hoc eodem lu-

1 «Omnis catholicus, qui sincera mente et animo suae Ecclesiae et
matri adhaeret, quam semel Christi veram Ecclesiam, firmissimum cre-
dibilitatis motivum atque authenticam veritatis revelatae magistram
cognovit, hoc imprimis scire desiderat: num ex revelatione omnino cer-
tus esse possit, se a Deo in fide catholica et in communione interna
et externa Ecclesiae catholicae conservatum iri, dummodo omnes graves
Del offensas evitarit et sincere fecerit quod in se est. Et quod ipsum
maxime inquietare et gravissima tristitia afficere valet, non est quaestio
de qualitate et specifica malitia gravis peccati, sive in actu defectionis
sive in eius causa commisi, propter quod Deus specialem suam et in
certis circumstantiis omnino necessariam providentiam denegat vel re-
trahit; sed est doctrina et assertio qua edocetur: ex revelatione non
constare de tali providentia divina, ideoque non omnino posse excludi
timorem, ne Deus, etsi homo fecerit quod potuit, tamen sinat eum ca-
tholicam fidem bona fide reicere, a communione externa Ecclesiae ca-
tholicae recedere, ad sectam heterodoxam transire et denique haereti-
cum materialem extra communionem externam Ecclesiae mori» (Hürth,
De inculpabili defectione a fide, in *Greyorlanum*, I [1926], p. 14 s.).

- «I lapsi invece—quindi coloro che più di ogni altro possono dare
Ln giudizio della loro vita spirituale—spesso protestano la loro inno-
cenza, dicono di essere stati costretti a questo passo dalla loro cos-
cienzi, di aver fatto quello che qualsiasi altro avrebbe fatto nelle loro
condizioni» (Guzzetti, *La perdita della fede nei cattolici*, Jenegono,
1940, p. 1 s.).

« «N'ayant plus la crédibilité qui réponde à son état d'esprit actuel,
il ne peut réellement pas faire l'acte de foi, et il ueut facilement se
persuader que, la foi lui étant impossible, il doit y renoncer» (Harent,
art. *Foi*, in *Diet. de Théol. Cath.*, VI, 314).

mine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur» (Denz. 1794). Huic ergo fideli Ecclesia sollemniter promittit, quandiu ille prior Deum non deserat, desertum non iri a Deo, at potius confirmatum in fide quam suscepit. 1. Divina quam Ecclesia promittit assistentia pervaditne omnes casus aut excludit e contra extraordinaria adiuncta? Plures theologorum regulam universalem volunt, quae careat exceptione 2. Quapropter qui a Deo deseritur et desertus deficit a fide, is, etsi, non peccet forsitan dum deficit, iam peccavit prius; infidelitas consequens est poena huius peccati, ideoque posset lato sensu vel improprie dici culpabilis *in causa* 3.

53 Quod si stricte loquendo Deus posset fidelem hunc deserere ut in infidelitatem cadat ob peccata, praecipue habitualia, contra virtutem quamlibet, deserere, v. gr.,

1 Merito animadvertit Harent (l. c., coi. 310) non constare specialem Dei protectionem ad veritates quidem revelatas sed nondum dogmatice definitas extendi; posset enim contingere ut fidelis qui hucusque et recte putavit hunc esse sensum alicuius propositionis Scripturae, de hoc sensu postea dubitet, ipsum immo reiciat absque culpa, audiens a catholico exegeta sensum propositionis alium, licet erroneum; potuit etiam contingere prae definitione Conceptionis Immaculatae ut fidelis qui hanc veritatem existimabat revelatam, eam verteret in dubium legens illos theologos qui speciali huic privilegio fuerunt adversi. In his casibus veritates, quantumvis revelatae, non fuerunt fideli traditae sub infallibili Ecclesiae magisterio.

2 Eis proculdubi favet non modo occasio sed et textus doctrinae traditae: occasio, quia illi quorum placita damnat synodus numquam dixerunt inculpabilem defectionem ordinariam sive communem <cf. Guzzetti l. c., p. 209>; textus insuper, cum emphatice Concilium dixerit: olli enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, *nullam unquam* habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi» (Denz. 1794).

3 Proprie culpabilis in causa esset defectio quam agens vel omitens. etsi ut finem vel medium eam non appetat, praevidet tamen secururam ex actu aut omissione voluntaria et culpabili. Defectio non praevisa, consequens attamen actum vel omissionem voluntariam atque culpabilem, dicitur culpabilis in causa sensu lato et improprio (Cf. Hürth, L c., p. 11).

luxuriis deditum \ probabilius et communius ponitur, non ob peccata quaelibet hisce nostris diebus desertionem illam permittere, sed ob peccata quae indirecte seu reductive ipsi fidei virtuti sunt opposita. Ergo catholicus ille qui fidem deserit est reus peccati contra fidem, non quod fidem abneget, sed quod in fide tutanda negligens, aut in periculis fidei temerarius, aut in pristinis motivis aspernendis praeceps exstiterit; haec negligentia in complenda catholica instructione, haec temeritas qua omnia indistincte legit, omnibus promiscue commiscetur, omnia soius perpendit, ac si ratio personalis sufficeret, haec praecipitatio qua fundamenta removens periculo committit superpositum salutis aedificium; huiusmodi peccata, quibus Deum in negotio fidei prior deseruit, habent Dei desertionem et consequentem infidelitatem poenam idoneam.

Quid ergo de rudium atque eruditorum virorum immo 54

1 «No es mucho permitir Dios que se pierda la fe, si no usamos de ella para lo que nos fue dada, que es para régir y ordenar nuestra vida.. Y no falta aquí también la razón, a lo menos en algunos hombres, que hay tan inclinados a vicios y deleites sensuales, y tan habituados a ellos que les parece cosa imposible vivir sin ellos, porque la perversidad de sus malas inclinaciones, confirmada con la antigua costumbre de pecar, les hace creer esta mentira y los tiene tan aherrojados y presos en estos vicios, que no hallan camino de salir de ellos. Pues estos tales están muy aparejados para perder la fe. Porque como ella les echa acibar en estos sus deleites con el temor de la cuenta y del juicio divino y de las penas del infierno, si viniere algún hereje que negare la inmortalidad del ánima, o la Providencia divina, están en peligro de abrazar esta falsedad, por quitar aquella espina de su corazón y dormir más a su placer en sus vicios... La razón desto es la grande fuerza que tiene la afición para cegar la razón, por la grande amistad que hay entre la voluntad y el entendimiento. Por donde cuando la voluntad está grandemente aficionada a una cosa, de la cual le sería muy penoso carecer, luego el entendimiento, por librar a su hermana de aquella pena, halla razones para aprobar y justificar lo que ella desca, aunque sea contrario a la fe, como lo muestran los ejemplos de esta miserable edad» (Luis de Granada, *Introducción al símbolo de la fe*, p. IV, dial. II; *Obras*, t. Vin, pp. 363 s., ed. Cuervo).

et sacerdotis iactis exemplis? Sed eruditi, a fortiori sacerdos, qui semel pervenerunt ad conclusionem aliquam per medium absolute certum non debuerunt difficultatibus post succumbere cum non recordantur demonstrationis medii. Ceteri qui fidem attigerunt per medium relative tantum sufficiens, hi debuerunt progressu annorum progredi in cognitione religiosa, atque in conspectu difficultatum quae fidei concutiunt aedificium—quo corridente habitatores facile opprimentur—satagere firmioris sustentaculi; accensentes ergo, immo, ubi casus sit, substituentes nova motiva pristinis; et pertingerent sub divino auxilio ad magnum illud atque perpetuum motivum credibilitatis et divinae legationis testimonium irrefragabile quod Ecclesia per se ipsa obtinet ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem; et Ecclesia eis apparuisset veluti signum levatum in nationes, ad se invitans eos qui nondum crediderunt et filios suos certiores reddens firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur ¹. Si ex his vel illis aliqui, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, in apostasiam aut haeresim labuntur, hi omnes a Deo sunt derelicti quod ipsi directe aut indirecte contra fidem peccando dereliquerunt Deum.

¹ Denz. 1794.—«Non vogliamo dire con questo che il cattolico non avrà difficoltà. Siamo ben lungi da una simile affermazione. Anche il cattolico potrà conoscere l'inquietudine che nasce dall'oscurità l'angoscia che scaturisce dalla tentazione, la tempesta che deriva dal cozzar disordinato delle opinioni. Ma l'inquietudine non è il dubbio, fangoscia non è la disperazione, la tempesta non è il naufragio. Anch'egli potrà essere messo con le spalle al muro da dialettici esperti, da logici alienati. Talvolta dovrà ammettere di non saper dare una risposta. Ma, fin quando si manterrà in grazia, tutte queste dotte difficoltà non potranno mai strappargli la certezza che una risposta c'è» (Guzzetti, l. c., p. 214).

A l i i c a s u s .

C. II.—Evergistus contendit parem esse condicionem 55
haeretici qui, veritatis lumine motus, convertatur atque
catholici qui, erroris fallaciis illectus, a vera fide de-
ficiat.

Sol.—Iam Vaticana synodus definivit: «Si quis dixe-
rit, parem esse condicionem fidelium atque eorum qui
ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut ca-
tholici iustam causam habere possint fidem, quam sub
Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso
in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam
credibilitatis et veritatis fidei suae absolvant: A. S.»
(Denz. 1815). Non ergo catholici atque haeretici par con-
dicio. Catholico adest Ecclesia manifestis notis instructa
ut tamquam custos et magistra verbi revelati queat ag-
nosci ab omnibus (Denz. 1793); ad quam unam pertinent
omnia quae ad evidentem fidei Christianae credibilita-
tem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.
Haeretici, ex adverso, «ducti opinionibus humanis fal-
sam religionem sectantur». Nec par est quoad catholicos
et haereticos divinae gratiae influxus: nam haereticos
excitat et adjuvat ut ad agnitionem veritatis venire pos-
sint; catholicos autem ut in fide perseverent con-
firmat

C. III.—Philippus, confessarius, nescit quomodo se 56

i Denz. 1794.—Hic recursus ad gratiam satis aperit *iustam causam*
quam catholici habere nequeunt deficiendi a fide, non obiectivam modo,
at subiectivam quoque dicendam. Perspicuum etenim iura quaelibet veri-
tati, falsitatt nulla; nec aliquis infitatus erat evidens huiusmodi prin-
cipium. Si ergo Ecclesia duxit opportunum loqui de iusta causa quae
desit catholicis in relinquenda fide et gratiam ulterius invocavit qua
qui semel crediderunt firmentur in fide et perseverent, iustam causam
dumtaxat obiectivam non intellexit.

gerat erga paenitentes qui se accusant de dubiis in fide et praecipue de difficultate deponendi talia dubia.

Sol.—Caute cum huiusmodi paenitentibus procedendum est. Interrogandi sunt imprimis de quam re dubitaverint—nam saepe putant ad fidem pertinere quae sunt fidei extranea—. Si revera agitur de veritate fidei, dispiciat confessarius an taliter dubitantes inveniantur in bona aut mala fide—quoad peccatum haeresis formalis—; si haeresim formalem commiserunt, indigni sunt absolutione donec dubiis depositis fidem plene amplectantur; si haeresim, e contra, materialem—ita quod se fideles catholicos nihilominus esse putent, quinimmo sibi persuasum habeant se habere iustam causam recedendi a tali vel tali veritate fidei, praecipue circa quasdam veritates captu difficiliore pro simplicibus—, videat confessarius quid ad salutem paenitentis magis conferat, hunc an sine absolutione dimittere donec, depositis dubiis, fidei complete adhaereat, aut absolvere potius si ex denegatione absolutionis maius detrimentum spirituale timendum sit—addita certo generali monitione credendi omnia quae Deus revelavit et Ecclesia proponit. Sic Fanfani.

57 c. IV.—Secundus propositionem quandam prorsus reicit quam, cum noverit propugnata a theologo magni nominis, putat attamen falso, ab Ecclesia propositam tamquam divinitus revelatam. Estne haereticus?

Sol.—Affirmative, nam condicionem aufert necessariam ut formale subsistat fidei obiectum: illud enim reiciens quod putat ab Ecclesia infallibiliter propositum non credit Ecclesiae proponenti, nec ideo credit cetera quoniam ab Ecclesia definita. At non incurrit poenas la-

* Fanfani, *Th. Mor.*, H, 28.

tas in haereticos, cum id quod reicit non sit reapse fide divina atque catholica credendum (cf. 48).

C.V.—Perlectis quorundam philosophorum libris, Primi- 58
mianus defecit totaliter a vera fide, quin propterea falsam aliquam profiteretur religionem. Quod cum nuntiaret eius hucusque parrocho et parrochi vicario, lis inter hos est orta num nempe ad crimen apostasiae requiratur falsae alicuius religionis professio.

Sol—Negative. «Quare, nomine apostatarum veniunt etiam massones (saltem plerique), nihilistae, anarchistae, probabilius socialistae proprie dicti, liberi cogitatores, rationalistae, deistae, pantheistae, et generatim illi omnes qui post susceptum baptismum a Christiana fide penitus recesserunt, quamvis ad iudaismum, vel ad aliam infidelitatem, non transierint». Ita Mare \

C. VI.—Polycarpus, diaconus Ordinis Praedicatorum, 59
hanc apud Vincentium eiusdem Ordinis confessarium, confessionem instituit: «Hodie, post longam fontium consultationem, haec apud memetipsum aperta verba protuli: Romani Pontificis infallibilitas, etsi a Pio IX proclamata, manet incerta. Noveram quidem tum excommunicationem tum irregularitatem dubio esse adnexas. Sed modo, de prolata haeresi vere paenitens et ne cogar eucharistica refectione carere meque prodere abstinens a diaconii munere, peto a te absolutionem a peccato et ab excommunicatione una simul ac dispensationem ab irregularitate».

Sol.—Agitur, imprimis, de haeresi, cum Polycarpus 60
deliberate assensum deneget dogmati quod novit definitum, aestimans definitionem Ecclesiae motivum insufficientem ad credendum; et agitur de haeresi prolata exterius, quantumvis sine teste—publica per se, etsi occul-

1 Marc., *Inst. Mor.*, I, 437, ed. 1927.

ta per accidens—; adest propterea delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum, quod censura plectitur (can. 2242, § 1). Polycarpus ergo incidit in excommunicationem speciali modo reservatam Sedi Apostolicae (49). Verum agitur quoque casus urgentior (can. 2254, § 1), cum sermo sit de religioso cui durum est abstinere a sacra communione. Vincentius ergo valide atque licite absolutionem dabit Polycarpo. Iniuncto tamen onere recurrenti, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et per confessarium. recitito nomine, ad S. Paenitentiarium 1, vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis (can. cit.).

61 Sed agitur quoque irregularitas ex delicto (49) occulto proveniens, irregularitas insuper a qua, vi can. 990, § 2, dispensare potest quilibet confessarius in casibus urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae—casus noster, abs dubio—. Quilibet ergo confessarius poterat ab hac irregularitate dispensare Polycarpum, «sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat» (can. cit.). In casu tamen nostro confessarius est *regularis*, qui, ex privilegio, dispensare potest paenitentem super irregularitatibus a quibus episcopi ex iure communi (can. 990, § 1) dispensare subditos pos-

1 Litterae ad S. Paenitentiarium:

Eminentissime ac Reverendissime Domine:

Titius (non Frater Polycarpus..., O. P.), diaconus, contraxit excommunicationem speciali modo reservatam S. Sedi, propter peccatum occultum haereseos. Cum absolutio differri non potuisset, quia durum erat Titio in statu peccati mortali permanere, et aliunde eum rite dispositum indicarem, absolutionem recepit. Nunc se sistit ad oboediendum Ecclesiae mandatis. Rescriptum velit Emira. Vestra mittere ad infrascriptum confessarium.

(Nomen et cognomen confessarii)

(via, numerus; civitas, natio)

sunt¹; quapropter eius dispensandi facultas non coarctatur ad casum urgentiorem, et dispensatione ab ipso concessa² Polycarpus licite poterit non modo ordines receptos exercere sed ad presbyteratum quoque progredi.

C. VII.—Hippolytus non credit etiam post definitionem Pii XII, B. Mariam V. assumptam fuisse corporaliter in caelum. Confessarius autem cui rem totam pandit dubitat utrum inciderit in excommunicationem latam in haereticos. 62

Sol.—Si suum internum dissensum manifestavit Hippolytus externe, affirmative; alias, negative Unde in Bulla dogmatica Pii IX, de Conceptione Immaculata: «Si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, ac propterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint» (Denz. 1641). Quae quidem postrema clausula non fuit apposita Bullae dogmaticae Pii XII³, quod satis pateat in Codice Iuris Canonici (60).

Huc e volumine superiore Casus accedant: Qui in parochum iratus negavit fidem publice, an censuram in-

¹ «Confessarii regulares dispensare possunt omnes saeculares sive clericos sive laicos ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes (excepto homicidio voluntario) a quibus Episcopi suos subditos dispensare possunt. Constat ex privilegio Fratibus Minoribus concessum a Sixto IV (Constit. *Sedes Apostolica*, d. d. 29 maii 1474) et ab Iulio II confirmatum (Const. *Dum ad sacram.*, d. d. 28 iulii 1506) atque per communicationem privilegiorum ad alios etiam confessarios regulares extensum» (Fanfani, l. c., IV, 500).

² «Nulla dispensationis formula specialis requiritur, ita ut clara voluntatis manifestatio sufficiat» (Vermeersch, *Th. Mor.*, III, 721, ed. 1927). Confessarius Igitur potest, post absolutionem a peccatis, his verbis uti: Dispenso tecum ab irregularitate quam incurristi propter haeresim.

³ AAS, 42 [1950], p. 770.

currerit (I, 89-91); *Communista spargens inter catholicos atheismum* (I, 185s).

V. DISPUTATIO CUM INFIDELIBUS

Doctrina.

63 Disputare est argumentis experiri propositionem aliquam, dum unus rationes profert in favorem unius sententiae atque conatur solvere quae ipsi opponuntur pro contraria. Disputare igitur cum infidelibus (48). ideoque de fide, est argumentis experiri dogmatis catholici veritatem, afferendo rationes quae ipsi favent et solvendo quae afferuntur ei adversas.

Disputatio de fide est formalis dum quis ex disputantibus propositionem fidei contrariam putat certam vel non certo erroneam; est vero materialis dum quam profert contrariam fidei disputans dumtaxat simulat, exercitii causa, se veram aestimare.

Porro de materialis disputationis liceitate quaestio nulla: ipsa etenim, praeterquam disputantes exercet in arte syllogistica, eos pariter ac audientes roborat seu firmat ne recedant a fidei veritate melius ac plenius cognita.

G4 Quod ad formalem disputationem attinet satis perspicuum duco eum quidem peccare qui disputans intendit experiri num sint vera quae hucusque tenuit fide et eum, contra, esse laude dignum qui disputat ut experiantur alii firmitatem illorum quae ipse tenet firmiter et inanitatem obiectionum quae opponuntur fidei. Verum vitiatur actus, de se quamvis optimus, ex periculo quod incurrunt fideles, immo et vera fides: periclitatur

siquidem fides, apud ipsos quoque infideles, dum qui eius suscepit patrocinium non est doctrina competens arteque dicendi; periclitatur et fidelis populus, ubi videat erroris triumphum. Longa namque experientia teste disputationes huius generis infelicem exitum habuerunt, «quia plerumque ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantis populi acclamations, veritas falsitate praevalente opprimitur»^x.

Quapropter Tanquerey: «Condiciones communiter requisitae hae sunt: (a) defensor veritatis catholicae ita firmus sit in fide ut nullum periculum incurrat in haeresim labendi; (b) idoneus sit ad veritatem exponendam et propugnandam, ita ut fides audientium non labefactetur; (c) spes sit fundata quod exinde magna utilitas oriatur pro fidelibus aut adversariis»¹.

Quae quidem condiciones cum raro impleantur, sic 65 in iure Canonico: «Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii» (can. 1325, § 3).

Hoc canone vetantur disputationes de argumento religioso, circa quod catholici atque acatholici. uti tales, discordant; vetantur hae disputationes si ex professo vel condicto ineuntur; et vetantur disputationes praesertim publicae, «aditu ad audiendum universis patente»³, licet vetitum ad privatas quoque porrigatur Pro-

¹ S. Congr. de Prop. Fide, 8 mart. 1625; *Collectanea* eiusdem, n. 11. ed. 1907.

² Tanquerey, *Th. Mor.*, II, 681, ed. 1931.

³ Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, IV, ii, 619, ed. 1935.

⁴ «Prohibitio non restringitur ad *publicas* disputationes, quia etiam in privatis dari potest periculum perversionis partis catholicae» (Wernz-Vidal, l. c.).—«Verbum *praesertim* admonet expresse alias quoque privatas iure canonico vetari, quamvis non his sed publicis aptari debeat plene hoc praescriptum» (Blat, *Comm. textus I. C.*, ad c. 1325).—«Prl-

hibitio cessat, si obtenta fuerit licentia S. Sedis¹ aut, in casu urgenti, loci Ordinarii; insuper cum aliud exigit necessitas vel, uti videtur, magna fidei utilitas, nec Ordinarius adiri potest².

Sed non attinguntur Codicis vetito «collationes privatae quae non ad vincendam personam sed ad eam convertendam diriguntur; nec conferentiae apologeticae, etsi permittatur (quod caute faciendum est) ut proponantur difficultates seu obiectiones»³.

Casus primus.

- 66 Marcellinus, qui vacavit iunior studiis ecclesiasticis, etsi postea clericali statui valedixerit, audacter fidem contra acatholicos opifices sibi socios non modo passim in diversoriis publicis defendit, verum quandoque ipsos ad disputationes etiam provocat quae sodalibus seu amicis pateant et in quibus lex sit ut contendentes id verum agnoscant quod designati iudices, ad allegata et probata, verum dicant.

Quaeritur:

1. Utrum Marcellinus carpendus sit.

vatas collationes non absolute Codex prohibet, vel, si dicatur eas prohibere, admitendum erit ex ipsa Codicis dictione istas facilius et ex leviori causa quam publicas certo permitti et licentiam Ordinarii loci facile pro istis praesumi posse» (Coronata, *Inst. I. C.*, II, 912, ed. 193D.

¹ «Ut puto, S. Congr. Concilii pro clericis et laicis, S. Congr. de religiosis pro iis, S. Congr. de Prop. Fide pro omnibus quoad regiones eidem subiectas, et S. Congr. pro Ecclesia Orientali, si quandoque apud orientales expediant, sed proprius S. Congr. S. Offic. i pro eius competentia quoad omnes» (Blat, l. c.). **I**

¹ Vermeersch-Creüsen, *Epitome I. C.*, II, 661, ed. 1930.

¹ Vermeersch-Creüsen, l. c.—Cautelae ideo sunt plures adhibendae quo auditores simpliciores sunt, qui facile dubitare incipiunt de eo quod putabant inconcussum et audiunt controversum atque obiectionum plenius quam solutionum vim assequuntur. ;

2. Quid si compertum habeat se supra ceteros pol-
lere scientia et eloquentia?

Solutio

Ad Ium.—Responsio, absque dubio, negativa quantum 67
ad fidei defensionem passim susceptam in diversoriis
publicis: nam passim idem sonat ac obiter, ex tempore,
data occasione.

Responsio, contra, affirmativa quantum ad disputa-
tiones in contradictorio, ut aiunt, excitatas. Non quod
sint publicae cum sodalibus dumtaxat pateant seu ami-
cis, sed quod verae disputationes sint, licet privatae,
quas igitur can. 1325, § 3 vetat, nisi aut licentiam obti-
nerit a S. Sede vel in casu urgenti ab Ordinario loci,
aut instet necessitas vel magna utilitas, ob quam licen-
tia praesumi possit quae peti nequeat. Immo quod dis-
putationes has condicione prorsus iniqua Marcellinus
ineat: lege enim posita et a contendentibus acceptata,
non modo periclitatur fides apud audientes, si ob lo-
quacitatem vel scientiam impugnatoris, ob imperitiam
vel infacundiam propriam, ob iudicum vel partialitatem
vel inscitiam, veritas opprimitur falsitati, at Marcellinus
insuper periculo fidem, saltem exterius, abnegandae,
postquam nempe promisit id verum agnoscere quod ve-
rum a iudicibus pronuntietur.

Condicionem dixi prorsus iniquam nam. praeter-
quam est obiective scandalosa—quasi fidei assensus
praestitus niteretur rationibus adducendis, quarum for-
tunam ideo subsequatur—, aut fit a Marcellino animo
sincero ipsam implendi, in hypothesisi, quamvis improba-
bili, possibili tamen sententiae sibi adversae—, et tunc
circa rem illicitam versatur, aut fit ab illo cum intentio-
ne non servandi promissum, et tunc dolose ageret.

68 *Ad Hum.*—Huiusmodi circumstantia non excusat a lege canonica, de qua ad Ium.; immo licentia sive S Sedis sive Ordinarii loci nec datur nec praesumitur ubi de oratoris praestantia moraliter non constet.

Est attamen circumstantia attenuans: periculum enim minuitur, quoniam erroris triumphus improbabilis.

Quin propterea periculum avertatur penitus, cum et Marcellinus possit decipi, suam extollens peritiam simul atque imperitiam contendentis, et iudices, ob ignorantiam vel passionem, etc., valeant contra allegata atque probata sententiam ferre.

Conditio igitur esset in omni casu reformanda, sic videlicet ut Marcellinus victus, non fidei falsitatem, sed propiam tantum agnoscat insufficientiam vel ignorantiam.

A l i i c a s u s .

69 C. II.—Ad Ecclesiam catholicam conversus et Facultati theologicae cooptatus, Simplicianus percussus fuit pervolvens Universitatis calendarium et inveniens praestabilitos ibi nonnullos dies pro defendenda et impugnanda veritate dogmatice iamiam definita. Stupet etenim quod ex una parte iure canonico prohibeantur disputationes de re fidei, ex alia vero tam facilis concedatur venia de dogmatibus fidei disputandi.

Sol.—Immerito Simplicianus rei novitate commoveatur; nam, etsi agatur disputatio ex conducto, fortasse et publica, non agitur disputatio cum acatholicis, id est formalis disputatio, cum nec ipse obiciens revocet in dubium fidei dogmata quae impugnare videtur. Illa disputatio est materialis seu scholastica «ad iuvenum ingenia exercenda pro veritatibus dilucidandis, ut postea valeant captiosas hominum, verorum nempe adversariorum, argumentationes agnoscere, ac detegere ubi veritas.

ubi error consistat... Etenim vexatio, quae tum defendentem tum arguentem exagitat, mentem attentam reddit, ingenium acuit, promptius reddit, et veritas ipsa veluti cribrata atque exuta omnibus difficultatibus, magis magisque elucet» l.

C. III.—Eugenius, Actioni Catholicae etsi adscriptus, 70
disputationem publicam acceptavit sibi ab acatholico propositam in qua de nonnullis quaestionibus inter hodiernos physicae cultores disputatis sententiam suam exponat atque obiecto-ribus satis faciat. Sed inde anxietas animi, quod id fecerit hierarchia inconsulta ipse qui profitetur se hierarchiae administrum.

Sol.—Deponat Eugenius anxietatem, nam etsi agatur disputatio publica cum acatholico, non tamen qua tali, sed quatenus cultore scientiae physicae, quapropter de argumento scientifico, nullatenus de argumento religioso; controversiam igitur acceptare potuit hierarchia inconsulta. Nec obstat devota illa submissio quam specialiter promisit dum Actioni Catholicae nomen dedit, nam ministerium huius sodalibus impositum terminos apostolatus hierarchic! non exsuperat, qui ad quaestiones mere physicas non extenditur.

C. IV.—Theodorus, catholicus atque parti monarch!- 71
cae plene deditus, ad publicam disputationem circa regiminis civilis formam optimam provocatur ab Aemiliano, calvinista et factionis republicanæ sectatore. Cum noverit ecclesiasticos Doctores magni nominis in caelum extulisse monarchiam, cumque cogitaverit Christum Dominum unam formam monarchic!! dedisse Ecclesiae, putavit ille quaestionem agitari dogmati valde proximam. Preces propterea misit ad Ordinarium loci, hunc

i Zigliara, *Summa Philosophica*, Logica, 46: cd. 1926, pp. 188 s.

rogans ut licentiam vel concederet ipse vel a Sede Apostolica impetraret. Sed episcopus neque preces transmisit Romam neque responsum oratori dedit. Hic igitur a confessario petit num, absque obtenta venia, disputationem acceptare possit.

Sol.—Affirmative, quoniam venia prorsus innecessaria. Cum enim agitur de regimine civilis societatis iam dixit Leo XIII: «Nihil est cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit et in communem utilitatem intentus» (Denz. 1855). Hinc prudens agendi ratio Ordinarii loci.

72 *c. V.*—Valerius, catholicus, acceptavit, non exquisita episcopi sententia, invitationem factam a socialista ut publicam inirent ambo disputationem de dogmatibus socialism!. Num recte se gessit Valerius?

Sol.—Negative; declaravit enim S. Congr. negotiis extraordinariis proposita (27 ian. 1902) disputationes cum socialistis iisdem regulis subiacere ac disputationes cum acathoiicis (ASS, 34 [1901-2], p. 407).

73 *c. VI.*—Christophorus, sacerdos, vellet in ephemeride omnium pervulgatissima respondere obiectionibus quas ibidem rabbinus Samuel contra Christianam religionem protulit. Dubitat tamen num id sibi liceat absque praevia licentia S. Sedis vel Ordinarii loci, de qua canon 1325, § 3.

Sol.—Affirmative, nam can. 1325. § 3 vetat dumtaxat disputationes orales; igitur «de controversiis scriptis solae regulae de censura librorum et scriptorum observandae sunt»¹. Sufficit ergo si Christophorus servet praescripta canonis 1385.

¹ Vekmeersch-Creusen, l. c.; item Fanfani, *Th. Mor.*, II. 44

VI. COMMUNICATIO INFIDELIUM IN SACRIS FIDELIUM

Doctrina.

Communicatio fidelium cum infidelibus (48) duplex 14
distinguitur: religiosa, seu in sacris, et civilis, seu in
profanis. Communicatio religiosa est aut infidelium in
sacris fidelium, aut infidelium in sacris infidelium.
Utraque, bifaria: passiva, dum quis sacris materialiter
adest; et activa, dum quis sacris formaliter participat,
instar colentis nempe, agens aut recipiens |

Porro communicatio infidelium passiva in sacris nos-
tris est, ut plurimum, licita: mera siquidem illorum
assistencia ritibus nostris non importat de se—quem in-
terdum ex circumstantiis innuit—favorem ipsis praesti-
tum vel unitatem ad illos religiosam, nec secum fert
continuo—quod ex personarum condicione quandoque
involvit—irridendae vel contemnendae fidei nostrae pe-
riculum.

Ideo in Codice I. C.: «Excommunicatus quilibet caret
iure assistendi divinis officiis, non tamen praedicationi
verbi Dei. Si passive assistat toleratus, non est necesse
ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli
nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit
sine gravi incommodo» (can. 2259).

Verum activa infidelium communicatio in sacris nos- 75
tris exstat saepius prohibita: innuit enim frequenter fa-

| Optimo sane consilio silentium tenuit Codex I. C. de aliis dis-
tinctionibus et subdistinctionibus familiaribus pluribus auctorum, Non
enim agitur de cooperatione, remota aut proxima, ad ritum sed de
communicatione scilicet in ritu, quem una cum acatholicis catholici
haberent simul. Nec agitur de communicatione in fide, sed in uno signo
dumtaxat.

vorem ipsis praestitum, vel unitatem religiosam cum ipsis; fert insuper secum irridendae vel contemnendae fidei nostrae periculum; demum, ex lege divina aut ecclesiastica infideles plerumque veniunt huiusce participationis incapaces, saltem indigni.

Hinc Codicis generale praescriptum: «Ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus» (can. 2259, § 2).

76 In specie autem, ecclesiastica lex statuit:

«A catholici... (in pias fidelium associationes) valide recipi nequeunt» (can. 693, § 1).

«Ut quis sit patrinus (in bautismo) oportet: 1.º sit baptizatus... 2.º ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus» (can. 765).—«Ut quis sit (in confirmatione) patrinus oportet: 1.º sit ipse quoque confirmatus... 2.º nulli haereticae aut schismatice sectae adscriptus» (can. 795).

Quoad sacramenta: «Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus relectis. Ecclesiae reconciliati fuerint» (can. 731, § 2). «Suspensionem a divinis, Sedi Apostolicae reservatam, ipso facto contrahunt, qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico» (can. 2372).

Quoad sacramentalia, denique: «Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo,

corporis sanitatem» (can. 1149).—«Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acathoiicos vel excomunicatos» (can. 1152).

Casus prii¹ us.

Cum frequentius recurrant casus, in quibus non uniti *orthodoxi* Christiani petant, quando orthodoxus minister adiri non possit, auxilium catholici sacerdotis, praesertim in morbo gravi, licetne orthodoxum hominem aegrotum precibus, provocando ad actum contritionis, adiuvere et, si explicite postulaverit, ei sacramenta conferre? 77

Adversatur sensui catholici sacerdotis orthodoxum fratrem in Christo sine ullo ecclesiastico funere relinquere. Sed committere defunctum orthodoxum ministro protestantico ut funus ecclesiasticum perficiat catholico sensui adversatur. Quomodo tunc procedendum?

Orthodoxi parentes filios suos baptizandos offerunt. Sacerdos orthodoxus attingi nequit. Licetne puerum (non in ecclesia) in sacristia baptizare et eius nomen in registre non in serie ordinaria nominum, sed seiunctim, inscribere?

Solutio

Huic triplici quaesito exstat recens (15 nov. 1941) S. 8
Officii responsum I:

«Sacerdos catholicus effusa caritate illos schismaticos ad Ecclesiam reducere conetur quos *commendatos sibi in Dno* ordinarii et parochi habere iubentur. Infir-

* Textum dubiorum atque solutionum desumpsi ab *II Monitore Ecclesiastico*, 1942, pp. 114 s.

mos paterne viset et praesertim si in periculo mortis fuerint, eos ad orationem, ad contritionem de peccatis et ad submissionem voluntati divinae excitet» (can. 1350, § 1).

Schismaticis autem, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare nisi prius, erroribus relectis, Ecclesiae reconciliati fuerint (can. 731, § 2) Etiam cum in periculo mortis constituuntur, requiritur ut meliori quo fieri potest modo (pro rerum et personarum adiunctis) saltem implicite errores reiciant et Fidei professionem faciant.

Iis autem qui bona fide errant et iam sunt sensibus destituti, ea sacramenta conferri poterunt sub conditione. praesertim si conicere liceat eos implicite saltem suos errores reiecisse.

Semper autem curandum est ut scandalum et vel suspicio interconfessionalismi evitentur. Quo minus est periculum in mora, eo magis explicita retractatio errorum et Fidei catholicae professio exigenda debent.

79 Quod ad sepulturam standum est Rituali Romano, Tit. VI, c. 2, de iis quibus neganda est sepultura (Cod. i. c., can. 1240). Sacerdos tamen sine veste sacra ullove ritu sacro coram cadavere domi exposito preces privatim fundere, officii civilis causa funus sequi et in coemeterio

1 Eadem Suprema Congregatio pridem (17 mali 1916) ad quaestionem duplicem; «1. An schismaticis materialibus in mortis articulo constitutis. bona fide sive absolutionem sive Extremam Unctionem petentibus. ea Sacramenta conferri possint sine abiuratione errorum. 2. An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et Extrema Unctio conferri possint», rescripsit: «Ad Ium. Negative, sed requiri ut. meliori quo fieri possit modo, errores reiciant et professionem fidei faciant—Ad num. Sub conditione affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen scandalo, manifestando scilicet adstantibus Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse» (Cappello, *De sacramentis*, I. n. 73, cd. 1928). 1

item privatim preces apud tumulum fundere poterit, remoto, si periculum adsit, scandalo.

Pueri autem a parentibus schismaticis oblatis ut baptizentur, extra mortis periculum a sacerdote catholico generatim baptizandi non sunt, nisi probabilis spes effulgeat catholicae educationis (can. 751)». De quo tamen infra (129).

A l i i c a s u s .

C. II.—Herenia, quod debeat virum sequi ad populos acatholicos destinatum oratorem patrii gubernii, dubium proponit confessario, an videlicet in extrema necessitate spirituali liceat petere sive ab infideli Baptismum, sive a ministro apostata vel haeretico Extremam Unctionem et Eucharistiam? 80

Sol.—Affirmative, dummodo secundum ritum catholicum, aut saltem valide, haec sacramenta administrentur.

C. III.—At licetne pariter, Herenia inquit, absolutionem petere a schismatico sacerdote si in periculo mortis catholicus sacerdos nullus adsit? 81

Sol.—«Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter sacerdotem haeticum ministraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiae». Ita S. Officium, 30 iunii et 7 iulii 1864 |

C. IV.—Herenia instat: Id ipsum nonne licet extra mortis periculum? 82

Sol.—Negative, ex responso S. Congr. de Prop. Fide (17 febr. 1761): «Nullo casu, neque necessitatis licere

› *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 1257. ed. 1007.

catholico confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico» *

83 C. V.—An sit licitum haereticis permittere ut missae inserviant; an saltem schismaticorum parvulis?

Sol.—Responsum negativum fuit datum ab eodem S. Officio, diebus 30 iun. et 7 iul. 1864, pro prima parte, et die 20 nov. 1850 pro altera 2.

84 C. VI.—Vicarius Ap. Sophiae et Philippopolis in Bulgaria hoc dubium S. Sedi exposuit: «Sophiae Sorores quaedam religiosae Institutum puellarum (Pensionat) dirigunt, in quo cum catholicis etiam schismaticae admittuntur. Mos invaluit ut in functionibus ecclesiasticis ac praesertim in expositione ac benedictione cum Sanctissimo, uti etiam ante et post illam, puellae schismaticae una cum catholicis in ecclesia parochial! canant. Unde petit orator an hic usus tolerari possit, habitis sub oculis sequentibus animadversionibus: 1. Agitur de loco in quo numerus catholicorum, relate ad schismaticos est valde exiguus. 2. Nullum adest periculum scandali, namque idem usus servatur in fere omnibus Orientis regionibus. 3. Adest contra spes conversionis acatholicorum. 4. Durum esset Sororibus, quae Institutum dirigunt, puellis schismaticis sponte ac lubenter in ecclesia cum catholicis cantantibus silentium imponere. 5. Denique eadem puellae schismaticae, utpote bona fide in schismate viventes, non videntur uti excommunicatae esse habendae».

Sol.—S. Officium respondit (24 ian. 1906): «Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus... tolerari posse» *

i *Collectanea*, n. 439. ed. 1907.

i *Ibidem*, nn. 1257 et 1053.

• *Ibidem*, n. 2227.

C. VII.—Epipodius, parochus, recens orbatus est ministro qui organum in sacris functionibus pulsabat: successorem equidem quaerit; quandiu tamen invepiat scire vellet num possit ad pulsandum organum admittere temporarie musicum acatholicum.

Sol.—«Remoto scandalo, vel scandali periculo affirmative». Sic eadem Suprema Congregatio, 23 febr. 1820

C. VIII.—Philoterus, sacrista, vellet porrigere acatholicis faces vel lumina ad functiones nostras liturgicas deferenda; ideo sciscitatur a parocho num id sibi liceat. 86

Sol.—Negative, ex responso eiusdem S. Officii, 20 nov. 1850 2.

C. IX.—Zephyrinus, praeses cuiusdam e Societatibus S Vincentii de Paul, cogitat de acatholicis admittendis ut Sociis honorariis. Quid dicendum? 87

Sol.—Respondit S. Congr. de Prop. Fide (19 sept. 1867): «Nihil quidem obstare quominus etiam ab acatholicis spontaneae elemosynae recipiantur; verum ut iidem recenseantur inter socios honorarios, omnino non expedire»

VII. COMMUNICATIO FIDELIUM IN SACRIS INFIDELIUM

Doctrina.

Haec communicatio potest duplex intellegi: passiva, dum fidelis mere materialiter adest sacris infidelium; et activa, dum his fidelis formaliter participat, instar co- 88
lentis nempe, agens aut recipiens.

1 *Collectanea*, n. 739.

• *Ibidem*, n. 1053.

' *Ibidem*, n. 1319.

Fidelium communicatio activa in sacris infidelium (48) est perpetuo illicita: innuit enim infidelitatis professionem vel simulationem, et ideo approbationem falsae fidei, aut favorem saltem indifferentismo religioso praestitum.

Ideo in Codice I. C.: «Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum» (can. 1258, §1).—«Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimentum mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum» (can. 1063, § 1).—Habet etiam can. 2319: «§ 1. Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae catholici: 1.º Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico; 2.º Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam; 3.º Qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; 4.º Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt.—§ 2. Ii de quibus in § 1, nn. 2-4, sunt praeterea suspecti de haeresi».

89 At communicationem fidelium passivam in sacris infidelium causa proportionata reddit licitam.. Mera siquidem praesentia corporalis ritibus infidelium, nisi in odium verae religionis vel patrocinium infidelitatis postulata, amittere valet ex adiunctis nedum perversionis propriae periculum, verum et illam ritus approbationis vel indifferentismi patrocinii speciem, quam, non accedente proportionata causa, iure dixeris et catholicae

i Cf. AAS. 46 [1954], p. 88.

religioni damnosam et proximis, catholicis et acatholicis, scandalosam.

Hinc in ipso Codice: «Tolerari potest (fidelium) praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollempniis, dummodo perversionis et scandalii periculum absit» (can. 1258. § 2).

C a s u s p r i m u s .

In regionem schismaticorum adductus ubi sacerdos 90 catholicus nullus est nec speratur fore, Simplicius, in religione catholica enutritus eique cordetenus adhaerens, tum pro missa dominicali audienda tum pro Paschatis adimplendo praecepto, schismaticorum ecclesiam adit, immo volens inire matrimonium cum puella pariter catholica, ad schismaticum parochum recurrit.

Quaeritur:

- 1) Num, his in angustiis, recte Simplicius egerit? et quatenus negative,
- 2) Qui illi esset agendum.

Solutio

Ad Ium.—Quoad auditionem missae, responsio nega- 91
tiva. Adest etenim declaratio explicita S. Officii (5 dec. 1668): «Episcopus Tribuniensis mandat catholicis sibi subiectis ne accedant ad Missas et alia officia divina in ecclesiis schismaticorum, eosdemque moneat in casu carentiae Missae catholicorum non teneri praecepto Missam audiendi» l.

* *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 171, cd. 1907

Negativa quoque responsio quoad paschalis praecepti adimpletionem. Non enim versabatur in extrema necessitate spirituali (ut supponimus), quo quidem in casu licitum foret Eucharistiam petere a schismatico (80).

Responsum negativum, a fortiori, quoad celebrationem matrimonii, cum nulla sit necessitas, ut dicemus, recurrenti ad schismaticum parochum uti talem. Ideo ad quaesitum: «An licitum sit catholico petere vel accipere benedictionem nuptialem a ministro acatholico, licet pars acatholica illud exigat», S. Congr. S. Officii respondit (29 ian. 1817): «Negative» * Potiori ergo ratione, ubi ambo nupturientes sint catholici, sicut in casu nostro. Conferantur canones 1063, § 1, et 2319, §1, n. 1, supra citati (88).

12 *Ad Ilum.*— Abstinerere debuit, imprimis a missae auditione, ad quam nullo adstringebatur, ut diximus, praecepto. Abstinerere quoque a communione tempore Paschatis. ad hanc itidem cum nulla tunc urgeret obligatio. Matrimonium, denique, contrahere debuit ad normam Codicis.

Legimus enim in can. 1098: «Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096: 1.º In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam. 2º In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet salva coniugii validitate coram solis testibus».

In casu igitur, cum in regione nullus esset catholi-

eus sacerdos nec prudenter praevideretur futurus intra mensem, Simplicius debuit matrimonium inire coram solis testibus 1, duobus nempe (can. 1094). Duo isti testes debent esse catholici², gravis nisi excuset causa simul atque scandalum vitetur³; at validitati matrimonii non officit quatenus, etiam extra necessitatem, acatholici aut infideles adhibeantur testes

Quo quidem ex capite vel ipse parochus schismaticus, in necessitatis casu, posset ut testis advocari; non tamen uti sacris addictus neque indutus sacris

Post initum hoc modo matrimonium «non improbat quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia» (can. 1063, § 3).

1 Ut consulatur dignitati et venerationi sacramenti, Congr. de prop, fide modum hunc Sinensibus proposuit (23 iun. 1830): «Parentes duos testes eligant qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei caritatis et contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum recte se disponant. Post hacc surgentes sponsi coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post gratias Deo actas domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur; postea vero, data opportunitate, et novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem accipiant» (*Collectanea*, n. 816).—Quoad huiusmodi tamen notificationem sic in novo Codice statuitur: «Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, tecum testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris (paroeclahbus) quamprimum adnotetur» (can. 1103, § 3).

² Vermeersch-Creusen, *Epitome I. C.*, II, 577, ed. 1934; Wernz-Vidal, *Ius Canonikum*, V, 540, ed. 1928.

³ «Se sia lecito assumere gli eterodossi a testimonii nel matrimonio dei cattolici.—R. Non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum» (S. Officium, 19 aug. 1891: *Collectanea*, n. 1765).

♦ Vermeersch-Creusen, l. c., n. 397; Wernz-Vidal, l. c.

Alii casus.

- 93 C. II.—In regione degens schismaticorum, Lazarus petit a confessario num debeat adorare Eucharistiae sacramentum delatum ad infirmum a praesbytero graeco.
Sol.—Meminerit confessarius responsi S. Officii (30 iun.-7 iul. 1864): «Scribatur quod occasione qua non possit evitare delationem Sacramenti, illud adoret, sed non prosequatur deferentem, nec ingrediatur ecclesiam graecorum» *.
- 94 C. III.—Philemon interrogat theologum utrum liceat assistere sacris haereticorum vel infidelium si assistentia praecipitur a publica auctoritate.
Sol.—Fanfani respondet: «a) si praecipitur in odium fidei vel in favorem falsae sectae, omnino illicita est, etsi fuerit mere passiva: tunc enim urget obligatio professandi, etiam exterius, propriam fidem (S. Off.. 13 ian. 1818); b) si praecipitur solum ordinis domestici causa, minime vero in favorem falsae sectae—ut accidere potest pro militibus, pro nautis in publicis navibus, pro captivis in carceribus, qui omnes iubentur, ratione ordinis domestici, functionibus sacris assistere quae ibi habentur—, assistentia licita videtur, dummodo materialiter et passive tantum catholici assistant» 2.
- 95 C. IV.—An decretum quo prohibetur catholicis schismaticorum Missis et eorum orationibus interesse, intelligatur etiam pro locis in quibus non reperiuntur sacer-

» *Collectanea*, n. 1258—«Si quis, ob gravem rationem, assistat functioni culus Missa pars sit, reverentiam Christo debitam in consecratione et post consecrationem omittere non poterit, cavendo ut, quoad cetera, a ministro se satis separet» (Vermeersch-Creusen, l. c., n. 577).

i Fanfani, *Th. Mor.*, II. 3b.

dotes catholici, et de orationibus in quibus nihil contra fidem et ritum catholicum habetur?

Sol.—S. Officium respondit (7 aug. 1704): «SSmus. censuit: Affirmative» l.

C. 7.—Post maritimam peregrinationem redux in patriam, Herenia narrat parochus se fuisse valde conturbatam cum videret plures e catholicis ad conciones confluere quas habebat in navi minister protestanticus. Sed cum parochus non commoveatur, prout expectabat ipsa, rei novitate, numquid, inquit, licitum est catholicis conciones audire haereticorum? 96

Sol.—Ex mera curiositate, negative; sed ideo peccatum non facile excedit veniale, speciales nisi concurrant circumstantiae (v. gr., scandalum pro aliis vel periculum perversionis pro auditoribus) aut particularis exstet prohibitio. Affirmative, contra, si (seclusa speciali prohibitione. periculo et scandalo) id faciant viri docti ad doctrinam praedicatoris confutandam.

1 *Collectanea*, n. 267.—In Instructione S. Officii (20 dec. 2949) pe, uittitur fidelibus ut cum ceteris recitent Orationem dominicam aliamve ab Ecclesia probatam initio atque fine conventuum Motionis Oecumenicae (AAS, 42 [1950], p. 146).—Vermeersch (*Th. Mor.*, II, 147, ed. 1928) scribit: «In ipso templo haeretico, te Deum cantare simul cum acatholicis in signum laetitiae communis potius quam ad sacram functionem peragendam, id non videtur licere nisi ad scandalum vitandum: ne catholici affectu patrio destituti videantur». Congr. de Prop. Fide, occasione tunc proximae coronationis anglorum regis Eduardi VII, decrevit (25 apr. 1902): «omnes ac singulos Indiarum Episcopos monendos esse, ne chistifidelibus sibi subiectis ullimode ingredi permittant acatholicorum ecclesias, dum in iisdem occasione suprascriptae coronationis anglorum Regis sacrae habebuntur coere moniac. E contra exhortentur praelaudati Episcopi, ut in propriis cathedralibus, et in qualibet alia eorum arbitrio pro diversis locorum circumstantiis designanda ecclesia, aliqua s[^]cra coere monia celebretur, cum cantu hymni *Te Deum*, Missa tamen solemnino omnino excepta... Neque ipsi (fideles) mirari forte debebunt, si permitti videant catholicis in civitate Londinensi, ob finem, de quo heic est sermo, templum haereticum adire; nam personalis Regis praesentia aufert ibi ab hoc civilis honoris actu quamvis communicationis in divinis ideam» (*Collectanea*, n. 2136).

97 C. VI.—Invitatus ab acatholico ut patrinus sit puero baptizando, luvenalis petit a sacerdote num catholicis liceat, per se vel per alios, fungi patrini munere in baptismis qui haereticorum vel schismaticorum filiis ab haereticis vel schismaticis ministrantur.

Sol.—Negative. Ita S. Officium, 10 mali 1770 1 et 30 iun. et 7 iul. 1864 »

98 C. VII.—Secundulus plures habet amicos acatholicos de matrimonio cogitantes; hinc dubium proponit confessario: Possuntne catholici interesse quovis modo nuptiis haereticorum, schismaticorum, et infidelium; vel etiam iis nuptiis quae illicite contrahuntur, valide aut invalide, ab uno ex istis cum parte acatholica⁹

Sol.—Huic quaesito idem S. Officium respondit (14 ian. 1874): «De regula, Negative: Tolerari tamen posse ut catholici huiusmodi nuptiis civilis officii causa tantum adsint, semoto scandalo, et quovis perversionis periculo, et ecclesiasticae autoritatis contemptu» 3.

99 C. VIII.—Zoilus quaerit a parochio: Licetne catholicis comitari funera haereticorum vel schismaticorum?

Sol.—Adest responsum eiusdem S. Officii (30 iun.-7 iul. 1864): «Dummodo catholici comitantes funera haereticorum aut schismaticorum usque ad ianuam coemeterii, meram praesentiam materiale exhibeant, civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant, tolerari posse» 4.

100 C. IX.—Legens huiusmodi responsum, parochio du-

» *Collectanea*, n. 478.

J *Ibidem*, n. 1257.

» *Ibidem*, n. 1410.

* *Ibidem*, n. 1257

bium incidit: Num. vel parocho catholico adesse liceat funeribus acatholicorum.

Sol.—Eadem Suprema S. Congregatio dubium solvit (8 maii 1889): «Parochum, uti parochum, funeribus acatholicorum adesse non posse; si vero tantum civiliter assistat, absque vestibus sacris et absque ulla communicatione in ritu sacro cum haereticis, tolerari posse, dummodo notorie constet de vinculo cognationis sive amicitiae inter parochum et defunctum acatholicum» x.

Viii. COMMUNICATIO FIDELIUM CUM INFIDELIBUS
IN PROFANIS

Doctrina.

Iure canonico communicatio civilis fidelium cum infidelibus prohibetur in poenam excommunicat! vitandi, 101
«nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset» (canon 2267). Prout Coronata animadvertit: «Communis iam nunc doctrina admittit communionem cum vitando in civilibus solummodo sub levi ab Ecclesia prohiberi et quamlibet iustam, licet levem, causam a prohibitione excusare. Verum notandum est eam semper communionem cum vitando prohiberi quae dici solet communitio in crimine criminoso seu quae delicto excommunicat! favet» 2.

Sed iure naturali et divino civilis communicatio fidelium cum infidelibus prohibetur ad cautelam frequenter. Nam quilibet fidelis strictissimo praecepto adstringitur ne se exponat periculo amitendi fidem, «sine 102

i *Collectanea*, n. 1705.

« Coronata, *Institutiones I. C.*, IV, 1761, ed. 1935.

qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire» (Denz. 801). Instat tamen periculum huiusmodi, iis maxime qui in fide simplices vel infirmi sunt, et praecipue quando ipsorum cum infidelibus communicatio ad familiaritatem usque pervenit. Hac de re D. Thomas: «Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit quam fidelium a fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicare qui fidem non susceperunt, scilicet paganis vel iudaeis, et maxime si necessitas urgeat. Si tamen sint simplices et infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione: et praecipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, ve) absque necessitate eis communicent» r.

- 103 Hoc profecto periculum adest primo in matrimoniis mixtis. Propterea in Codice I. C.: «Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizadas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae vel schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et proli coniugium ipsa etiam lege divina vetatur» (canon 1060); et: «Ordinarii alique animarum pastores: 1° fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant» (can. 1064).
- 104 Adest quoque in acatholicarum scholarum frequentatione nec tantum parvulis, uti perspicue liquet, sed et iuvenibus, cum «levitas ingenii atque instabilitas adolescentium, errores, qui quasi cum aura in dictis Institutis hauriuntur absque antidoto solidioris doctrinae maxima vis quam in iuvenes exercent humani respectus ac sodalium irrisiones, tam praesens tamque proximum

in adolescentes inducunt labendi periculum, ut nulla generatini sufficiens ratio concipi queat, propter quam adolescentes acatholicis Universitatibus committantur»¹. Ideo Codex: «Pueri catholici scholas acatholicas, neutras. mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam Instructionum Sedis Apostolicae. in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur» (can. 1374).

Adest denique in commercio cum acatholicis. Prae 105 primis quidem in famulatu; valent enim, proportione servata, de hodiernis famulis quae D. Thomas habet de antiquis servis: «Magis est probabile quod servus, qui regitur imperio domini, convertatur ad fidem domini fidelis, quam e converso»². Insuper, in locatione operarum et operis, si operarii necesse habeant conversari cum dominis vel sociis acatholicis. Tandem in sublectione principi acatholico³ et associationibus cum acatholicis; hinc Codicis verba: «Fideles laude digni sunt, si sua dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis; caveant autem ab associationibus secretis, damnatis, seditiosis, suspectis aut quae studeant

¹ 3. Congr. de Prop. Fide, de universitatibus anglicanis Oxfordiense et Cantabrigense, ad episcopos Angliae, 6 aug. 1867 (*Collectanea* eiusdem, n. 1312, ed. 1907).

² S. Thomas, l. c., ad 3m.

³ Id., *ib.*, art. 10, ad 3m.

⁴ Ad quaestionem: Utrum infideles possint habere praelationem seu dominium supra fideles, respondet D. Thomas (l. c., art. 10): «Circa hoc dupliciter loqui possumus. Uno modo de dominio vel praelatione infidelium super fideles de novo instituendo. Et hoc nullo modo permitti debet. Cedit enim hoc in scandalum et in periculum fidei: de facili enim illi qui subiciuntur aliorum iurisdictioni immutari possunt ab eis quibus subsunt ut sequantur eorum imperium, nisi illi qui subsunt fuerint maenae virtutis». Nostris hisce diebus, qui catholici ius habent ferendi suffragium pro electione corporis legislativi deberent illud *de facili* considerare attente, quoniam non est expectandum ab acatholicis ut leges

sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere» (canon 684).

106 Hodie, pro dolor!, pauci fideles cogitant de periculo cui commitunt fidem communicantes cum infidelibus in profanis. At si rem presse consideramus, huic communicationi praecipue tribuenda serpens inter simplices defectio: classis, ut aiunt, proletaria ideo ab Ecclesia aberrat quod quaerens, pleno iure, ad meliorem conditionem civicam adduci, nomen dedit associationibus communistis, socialistis, etc., in quibus audiunt perplura contra fidem, pro fide autem nec verbum.

Cautiones igitur adhibendae sunt omnibus qui miserae huic necessitati subiacent, ut periculum de se proximum fiat ipsis, relative, remotum. Sic parentes qui filios scholis neutris vel mixtis, ob causam sufficientem, committunt, tenentur, per se ipsos aliosve competentes: <a) Christianam instructionem et educationem extra scholam rite ac diligenter tradere, praesertim de illis veritatibus quae in scholis impugnari solent; b) invigilare ne filii ex auditis lectionibus, ex pravis libris vel ex consortio cum pravis sociis in fide aut moribus aliquod detrimentum patiantur; c) curare ut filii frequentent Associationes catholicas» \ Sed et adulti qui societatem cum acatholicis vitare nequeunt, satagant oportet frequentare tum catholicorum commercium, tum praedicationem verbi Dei, tum libros et periodica ne fides atque Christiana vivendi ratio naufragium faciant tot verberatae fluctibus.

ferant conservationi fidei favorabiles sed timendum potius ne eorum legislatio faveat saltem indifferetismo religioso; hinc publica licentia agendi atque loquendi contra fidei dogmata et doctrinam Ecclesiae.

i Fanfani, *Th. Mor.*, III, 261.

Casus primus.

Sodalitiis, vulgo «sindicati», instituendis laudabili 107
sane sedulitate sese devovit Aristonicus, syndicalista catholicus.

Quamvis sodalitia mere catholica efformare posset, praefert suos adseclas mixtis vel neutris consociationibus adscribere, ubi exciisi tantum maneant opifices communistae.

Propria temporalia negotia ac iura efficaciter ac firmiter defendere, servare debitae iustitiae obsequium nonnumquam difficile invenit et sincere cum aliis societatis classibus collaborare. Coram se atque cum amicis ita se iustificat: —Si volumus opificum liberas associationes efflorere et communistarum sodalitiis efficaciter obstare, debemus transgredi nonnumquam limites iurium opificum iustae vindicationis.

Cum autem in luctam syndicalem nimis incumbant nonnulli Aristonici asseclae, officia Christiana ipsa neglegunt.

Quae omnia recogitans Aristonicus scrupulis conscientiae premitur. Quapropter consilium expetit a prudenti confessario.

Solutio

Plura Aristonico nostro tribuuntur.

108

Primum quidem, quod se devovit sodalitiis, vulgo «sindicati», instituendis. In hoc, certo certius, est laudandus. Expresse Leo XIII: «Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint» x.

* Leo XIII, enc. *Rerum Novarum*; Acta, XI, p. 137, ed. 1892.

Secundum autem, quod quamvis sodalitia mere catholica efformare possit, praefert suos adseclas mixtis (seu interconfessionalibus) vel neutris consociationibus adscribere, ubi exclusi tantummodo maneant opifices communistae. In hoc altero carpendus est. Quamvis enim in casibus seu adiunctis extraordinariis non sit illicitum catholicis nomen dare illis associationibus—quae tamen iustitiam et aequitatem colant atque sociis catholicis permittant libertatem sectandi conscientiam et Ecclesiae normas—, attamen «quod ad societates operariorum attinet, quamquam iis propositum est comoda huius vitae comparare sociis, tamen maxime probandae, aptissimaeque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illae sunt habendae, quae praecipue religionis catholicae fundamento constitutae sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem» 1. Ergo Aristonicus male egit praefereus sodalitia interconfessionalia vel neutra, dum plene catholica poterat efformare. Sed et in adiunctis quoque extraordinariis, in quibus associationes interconfessionales vel neutrae forent practice necessariae, male egisset quoque abstrahens ab approbatione episcoporum et a cautionibus requisitis. Pius enim XI sic edixit: «Episcoporum sane est, ubi has consociationes (neutras) ex rerum adiunctis necessarias neque religioni periculosas noverint, approbare ut eis adhaereant catholici opifices, habitis tamem prae oculis principiis et cautionibus quas s. m. Decessor noster Pius X commendabat» 3.

» Pius X, 24 sept. 1912; AAS. 4 (1912), 659.

» Pius XI. tnc. *Quadragesimo Anno*, AAS. 23 (1931), p. 188.—In epistola S. Congr. Concilii ad episcopum A. Llenart (5 iun. 1925) haec habentur: 1. Ecclesia agnoscit ius. tum conductorum tum operariorum, constituendi consociationes syndicales, sive separatas sive mixtas, in quibus videt medium efficax quaestioni sociali solvendae. 2. Ecclesia in praesenti condicione rerum, aestimat moraliter necessariam constitutionem harum consociationum. 3. Ecclesia hortatur ut constituentur hae

Tertium est quod in propriis temporalibus iuribus ac 109
negotiis efficaciter et firmiter defendendis Aristonicus
media interdum adhibet iniusta neque sincere collaborat
cum aliis classibus societatis. In hoc etiam dignus est
reprehensione: nam tenetur collaborare, non luctare,
cum aliis societatis classibus et abstinere a mediis inius-
tis Cum autem suam agendi rationem commendat inde
quod, nisi interdum transgrediatur limites iurium opi-
ficum iustae vindicationis, nequeat prosperitas obtineri
associationum liberalium ac victoria super associationes
communistas. incidit in principium certo immorale, qua-
si finis nempe iustificaret media. Immo, cum eius sit
non dumtaxat vitare pugnam inter classes sed et for-
titer se opponere classium pugnae potius quam debella-
re communismum, huic evidenter favet \

Postremum denique: cum in luctam syndicalem ni-
mis incumbant, nonnulli adseclae Aristonici Christiana
officia neglegunt. Si Aristonicus ad hoc ipsos induxit,
verbo aut exemplo, tunc ipse est responsabilis de illorum
neglegentia atque tenetur eos inducere, ore aut opere,
ut haec officia impleant. Si, contra, ipsi neglexerunt illa

associationes. 4. Ecclesia vult ut stabiliantur et regantur secundum prin-
cipia iidei et moralis Christianae. 5. Ut sint instrumenta concordiae et
pacis; et ideo suggerit formationem Commissionum mixtarum, 6. Eccle-
sia vult associationes efformatas a catholicis pro catholicis constare
catholicis, quin dubitet interdum alium modum tenendum esse,
sia commendat unionem omnium catholicorum ad laborandum in com-
muni sub vinculo caritatis Christianae (AAS. 21 [1929], pp. 494-50G).

1 «Sappiano mettere in guardia la ferma tutela dei loro interessi eco-
nomic! col plù stretto senso di giustizia e coi sincero proposito di col-
laborare con le altre classi della società al rinnovamento cristiano di
tutta 'a vita sociale... Se respingessero lo stretto senso di giustizia e la
sincera volontà di collaborare con le altre classi sociali, fallirebbero
all'aspettazione e aile speranze, che ogni onesto e consciente lavoratore
ripone in loro» (Pius XII. allocutio diei 29 iun 1948; AAS, 40 [1948].
p. 336). «Voi dovete fare sì che i principi cristiani prevalgano definiti-
vamente nel Sindacato; allora esso prospèrent a vantaggio dei lavoratorl
e di tutto il popolo Italiano» (Id., ib.. p. 337).

motu proprio, Aristonicus non est responsabilis atque sufficit ne ipsorum approbet zelum nimium.

A l i i c a s u s .

- 110 C. II.—Ad confessarium accedit Eduardus a quo ille callide secretum duplex eripit: eum scilicet sine causa iusta matrimonium mixtum meditari immo et dispensationis extorsionem sub comminatione nubendi coram civili iudice.

Sol.—Ex utroque capite graviter peccavit Eduardus; ideo, ni resipiscat, per se est absolutione indignus. Ita Merkelbach *.

- 111 C. III.—Lambertus, confessarius, absolutionem denegat eis parentibus qui, absque ratione sufficiente, filios mittunt ad scholas neutras.

Sol.—Si ageretur de peccato gravi, non tantum obiective, verum et subiective, bene quidem Lambertus. At si in maxima fidelium regionis parte adhuc desideratur perfecte catholica conscientia circa grave hoc officium, convenientius videtur confessarium benignitate atque patientia parentes edocere quam severitate tractare. Sic E. Garcia².

- 112 C. IV.—Quaedam ex scholis neutris habent cappellanium catholicum; an propterea frequentari possunt?

Sol.—Non ideo quod habent cappellanium catholicum scholae neutrae in catholicas convertuntur; quapropter ob eam tantum rationem illarum frequentatio non fit licita. Exsistentia capellae et capellani multum quidem

» Merkelbach, *Th. Mor.*, III, 869. cd. 3.

i In *Boletin Ecclesidstico de FiUpinas*, 31 (1957), p. 697.

iuvabit studentes catholicos ad supplendum defectum capitalem eorum educationis; at non mutat speciem illius scholae. Ita ipsemet auctor

C. V.—Emerentiana, puella catholica, familiam quaerit cui famuletur; invenit familiam acatholicam; ideo petit a confessario an liceat famulatus apud acatholicos¹ 113

Sol.—«Si absit periculum perversionis tam in fide quam in moribus, et famuli regulariter non impediuntur ab observatione praeceptorum Ecclesiae, non est illicitus. Hanc autem libertatem exercitii Religionis in limine contractus stipulari debent. Si nihilominus eveniat eos saepe a Religionis exercitio impediri, tenentur, cum primum sine gravi damno possunt, famulatum relinquere». Ita Aertnys-Damen 2.

C. VI.—Cum in civitatem recens fuerit inducta illa associatio quae *Rotary Club* nomine insignitur quaestio orta est inter laicos et inter sacerdotes num liceat catholicis, etiam sacerdotibus, nomen ipsi dare. 114

Sol.—Huic quaesito respondit S. Congr. S. Officii (20 dec. 1950): «Clericis non licere nomen dare Associationi *Rotary Club* vel eiusdem coetibus interesse; laicos vero hortandos esse ut servent praescriptum can. 684. C. I. C.» 3.

¹ In *Boletin Eclesiástico de Filipinas*, 31 (1957), p. 767.

¹ Aertnys-D'men, *Th Mor.*, I, 328, ed. 1939.

» AAS. 43 (1951), p. 91.

IX. FIDELIUM ADSCRIPTIO COMMUNISMO

Doctrina.

115 Ad quaesita: 1. Utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare. 2. Utrum licitum sit edere, propagare, vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere. 3. Utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint. 4. Utrum christifideles qui communistarum doctrinam materialisticam vel antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam,

Suprema Congr. S. Officii, per Decretum diei 1 iulii 1949, respondit:

Ad 1. Negative: communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profiteantur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt; ad 2. Negative: prohibentur enim ipso iure (cf. can. 1399 CIC); ad 3. Negative, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi; ad 4. Affirmative» 1.

116 In responsione ad Im. simplex dumtaxat factum —quibusdam forsitan minus obvium—clare et authen-

tice recensetur. In ad 2m., ob can. 1399 et iuxta can. 1384 declarantur ipso facto vetiti libri qui conantur destruere, quomodolibet, ipsa fundamenta religionis; sed doctrina materialistica communism! denegat fundamenta ipsamet religionis—Dei personalis existentiam, animae spiritualitatem, immaterialitatem, etc.—; ergo qui scribit in periodico comunista, quantumvis non nisironicam teatralem, litterariam vel deportivam, is scribit in praefato periodico, collaborat in eo, ponit ingenium atque nomen ad factionis servitium. In ad 3m, ex principiis communiter receptis infertur eum qui vult manere membrum alicuius organizationis communistae, qui favet communismo, qui exponit periculo propriam fidem, legens folia communistica vel his foliis suppeditans auxilium, hunc non nisi iniuria petere quominus sibi sacramenta ministrentur; saltem Ecclesiam, cui officium est invigilandi super horum dignam receptionem, teneri illamet denegare iis qui se praebent susceptionis indignos. Optime tamen Ecclesia novit quosdam esse fidelium qui, contra voluntatem, ob vim moralem et interdum physicam, coguntur factioni communistae inscribi; confessarius iudicare debet de circumstantiis in quibus paenitens fuit coactus ad suscipiendam schedam communism! quem detestat cordetenus. In responsione, denique, ad 4m applicantur canones iam noti (cf. 48 s.): Materialismus denegat existentiam Dei personalis, spiritualitatem animae, libertatem voluntatis, praemium et poenam post hanc vitam; qui hanc doctrinam profitetur se separat, ipso facto, a communitate et fide Christiana; est igitur apostata; incurrit ergo in excommunicationem latam in apostatas cum exterius prodit suam apostasiam, prout is facit qui materialismum profitetur et, a fortiori, qui ipsum propugnat atque propagat. At non pauci e catholicis favent communismo

sive suffragio in electionibus, sive pecunia pro foliis communisticis, sive auxilio in controversiis socialibus et politicis, quin propterea intendant doctrinae materialisticae et antichristianae communism! adhaerere: hi non incurrunt in excommunicationem de qua supra.*

Casus primus.

117 Hieronymus per multos annos odio contra sacerdotes exarsit; quod sane conceperat ex consortio cum communistis. quorum conventibus olim interesse consueverat. Tandem ipsis adhaesit, quin tamen politicae communisticae factioni nomen daret, syndicatui tantum eorundem adscriptus, in quo munus directivum gerit. Quod non causis politicis adductus, sed odio in similes associationes fecit quae a clero, ut ipse ait, reguntur, et simul ut in sua condicione sociali permanere munusque lucrativum in quadam administratione rei linteariae retineret, ubi socii factionis communisticae per fas et nefas monopolium exercent.

Ad meliorem frugem reversus occasione missionum, confessarium adit, cui confitetur se deprecare odium quo irrationabiliter sacerdotes persecutus fuit, et a syndicatu recedere non posse quin a suo munere etiam in administratione rei linteariae dimittatur gravi cum propria iactura.

Quaeritur

1. An Hieronymus excommunicationem incurrerit.
2. Quae mandata a confessario sint Hieronymo imponenda.

i Ex *L'Osservatore Romano*, 27 nil. 1949.

Solutio

Ad Ium.—Hieronymus graviter peccavit admittens 118
 consortium communistarum: se enim exposuit periculo
 exardescendi odio contra sacerdotes—uti experientia
 comprobavit—, immo et periculo amittendi fidem. Gravi-
 ter similiter deliquit scienter atque libere se adscribens
 syndicatui a communistis dependenti, saltem quoniam
 hoc fecit ex odio, non quidem in Ecclesiam vel in fidem,
 sed in similes associationes quae a clero regebantur—li-
 cet hoc ipsum peccatum minuatur propterea quod odium
 non fuit sola causa adscriptionis. sed odium simul cum
 voluntate permanendi in sua condicione sociali et reti-
 nendi munus lucrativum in administratione rei lintea-
 riae, etc. Forsan insuper et graviter peccavit communis-
 tica folia legens (441 s.) et comunismo favens suffragio
 vel pecunia vel auxilio in socialibus et politicis contro-
 versiis. Excommunicationem attamen in communistas
 latam evasit, non enim eorum doctrinam, materialisti-
 cam vel antichristianam, professus est, defendit, propa-
 gavit, quantumvis ipsis praestiterit favorem; non est a
 fide apostata.

Ad Ilum.—Confessarius debet imponere Hieronymo: 119
 paenitentiam congruam, reparationem scandali, remotio-
 nem periculi proprii—v. gr.. per lectionem foliorum ca-
 tholicorum, per societatem bonorum fidelium etc.—, et
 abdicationem cum administrationis rei linteariae tum
 praecipue muneris directivi in syndicatu—illius namque
 administrationis factio comunista monopolium exer-
 cet, et huiusmodi syndicatus est a comunismo depen-
 dens—; abdicationem tamen non immediatam, sed
 quando haec erit moraliter possibilis: prout enim ads-
 criptio *materialis* comunismo cohonestari potest si

alias cui deficerent necessaria vitae, ita ob parem rationem cohonestatur eiusdem adscriptionis asservatio l.

A l i i c a s u s .

120 C. II.—Utrum exclusio communistarum ab usu Sacramentorum in Decreto S. Officii diei 1 iulii 1949 (115) statuta, secum ferat etiam exclusionem a celebrando matrimonio; et quatenus negative, an communistarum matrimonia regantur praescriptis canonum 1060-1061?

Sol.—S. Congr. S. Officii respondit (11 aug 1949):
 ^Attenta speciali natura sacramenti matrimonii, cuius ministri sunt ipsi contrahentes et in quo sacerdos fungitur munere testis ex officio, sacerdos assistere potest matrimoniis communistarum ad normam canonum 1065, 1066. In matrimoniis vero eorum de quibus agit n. 4 praefati Decreti, servanda erunt praescripta canonum 1061, 1102, 1109 § 3 > 2.

121 C. III.—Photinus rationem non attingit cur matrimonii sacramentum ab aliis hic Sacramentis secernatur.

Sol.—Matrimonium, praeterquam sacramentum, est insuper contractus. Exclusio ergo in Decreto signata quoad sacramenta valet quoad sacramenta cetera; ad matrimonium vero quod attinet, applicetur oportet secundum ipsi propria³.

¹ Ad rem Fanfani : «Absolvi etiam poterit (communiste), etsi non in bona Ude, si in talibus adiunctis versetur, ut sine gravissimis damnis suum nomen a comunismo hic et nunc revocare nequeat; dummodo serio promittat sese abstinere a quacumque formali et libera cum comunismo cooperatione; interim curet ut citius quam sit possibile, ipsam adscriptionem revocare valeat; dicitur enim in ipso decreto S. Officii supra citato. Sacramenta deneganda esse iis tantum qui *scienter et libere* comunismo adhaerent» (*Th. Mor.*, I, 382).

^a AAS. 41 (1949). p. 428.

³ Ex *L'Osservatore Romano*, 16-17 aug. 1949.

C. IV.—Philetum parochum adit pars catholica vo- 122
lens nubere parti quae aperte profitetur, diffundit atque
propagat doctrinam materialisticam et antichristianam
communism!. Philetus vero rem duplici esse implicatam
difficultate reputat: Num ei liceat matrimonio assistere
et utrum nupturientes detineantur impedimento mixtae
religionis.

Sol.—Ad primum: episcopus potest permittere ut pa-
rochus matrimonio assistat, si graves causae urgeant; ne-
quit tamen permittere Missae celebrationem, consequen-
ter nec benedictionem nuptialem; tunc tantummodo
cum graviora mala prudenter timeantur, permittere va-
let ut matrimonium celebretur intra ecclesiam immo
cum aliqua ex consuetis caeremoniis ecclesiasticis, Missa
exclusa. Sic De Iorio

Ad secundum: si pars altera, baptizata (ut supponi-
tur), praeterquam communismum profitetur etc., est
insuper adscripta sectae atheisticae eorum qui dicuntur
sine Deo, affirmative²; alias, negative¹, sed Ecclesia, ut
ostendat quantum abhorreat ab his nuptiis, cautiones
formales exigit baptismi et catholicae educationis prolis
atque vult sacerdotem consensum recipere extra eccle-
siam modo dicto.³

¹ Apud Palazzini de Iorio, *Casus Conse.*, II, 363.

² Interrogata «an ad normam Codicis I. C., qui sectae atheisticae
adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes turis effectus etiam
in ordine ad matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae ad-
haerent vel adhaeserunt», Commissio Codicis respondit (30 iulii 1934).
Affirmative <AAS, 26 [1934], p. 494).

³ «Neque ex eo quod S. Officium edixerit in matrimoniis eorum de
quibus agit η. IV praedicti Decreti, servanda esse praescripta canonis
1061, sequitur assertam fuisse existentiam impedimenti mixtae religionis
lussit quidem S. Officium ut in matrimoniis communistarum servarentur
praescripta can. 1061, 1102. 1109, § 3, sed significanter omisit in respon-
sione, quamcumque can. 1060 mentionem, licet de eodem canone quaesi-
tum expresse fuerit» (Emus. Ottaviani, *De communistarum matrimoniis*.
in *Apollinaris*, 22 [1949], p. 103).

123 C. V.—Saturo occurrit pars catholica quae vult nubere parti dumtaxat adscriptae communismo. Quid in casu?

Sol.—«Ordinarius potest prohibere quominus matrimonium sollemniter celebretur atque vetare ipsam Missae celebrationem si ex ipsorum agendi ratione ceteri fideles grave patiantur scandalum. Sed censemus Ordinario fas non esse iubere ut eorum matrimonium extra ecclesiam celebretur, atque prohibere omnes sacros ritus, ne eadem sanctione plectantur qui profitentur doctrinam materialisticam Communistarum et qui, tantum ob rationes politicas, eisdem favent»¹

124 C. VI.—Zenobium parochum duplex dubium exagitat: Quid, nempe, si utraque pars antichristianam communism! doctrinam profiteatur, aut sit dumtaxat adscripta communismo?

Sol.—«Prior casus nullam videtur practicam difficultatem secum ferre; nam duo coniuges communistae re vera doctrinariii nullo pacto matrimonium in facie Ecclesiae contrahere attemptabunt. Postremus difficile admodum reddet Ordinario vel parochi morales certitudinem sibi comparare de bona fide et veritate cautionum datarum aut recessus a quacumque cooperatione In communism! favorem. Ordinario competet quod opportunum erit iudicare». Ita Fâbregas².

125 c. VII.—Cum nonnullas noverit constitutas esse associationes, impulsu ac ductu partium communistarum, eo spectantes ut pueros puellasque imbuant principiis et Institutione quae materialismun sapiunt et mores Christianos religionemque impetunt, Almachius, sacer-

¹ De Iorio, l. c.

² Adnotationes in decretum 1 iulii 1949. in *Periodica*, 38 (1949), p. 307

dos, petit a theologo: Quid de parentibus qui his associationibus instituendos liberos tradiderint?

Sol—Ex Monito S. Officii (28 iul. 1950), «parentes vel eorum locum tenentes qui, contra praescriptum can. 1372, § 2, CIC et memorati Decreti S. Officii (115), liberos praedictis associationibus instituendos tradiderint, ad Sacramenta recipienda admitti nequeunt» \

C. VIII.—At possuntne, Almachius rogat iterum, ipsi 126
pueri aut puellae admitti ad Sacramenta?

Sol—Ex eodem Monito: «Pueri ac puellae, quandiu huiusmodi associationum participes sunt, ad Sacramenta admitti anequeunt» 1

C. IX.—Quid demum, instat, de professoribus, magis- 127
tris, paedagogis harum associationum?

Sol.—Verbis eiusdem Moniti, «qui contra fidem vel Christianos mores pueros ac puellas docuerint, incurrunt in excommunicationem Apostolicae Sedi speciali modo reservatam» 3

1 AAS, 42 (1950), p. 553. «Non tantum parentes vel eorum locum tenentes qui fundamentales materialism! dialectici doctrinas teneant vel communisticis factionibus nomen dederit aut favorem praestaverint a receptione Sacramentorum epellendi sunt—quod *Decretum* (115) clarissime significat—, sed etiam ii a Sacramentis prohibendi qui agentes contra praescriptum can. 1362 quo gravissima obligatione tenentur Christianam liberorum educationem curandi, eos pessimis illis Associationibus instituendos tradiderint» (Fâbregas, *Adnotationes*, in *Periodica*, 39 [1950], p. 311).

2 «Sacramenta pueris et puellis quae harum Associationum participes fuerint deneganda sunt non quod ipsi sint puniendi ratione participationis ad quam a parentibus, vel eorum locum tenentibus, necessario coguntur, sed quia Indecens indecorumque esset eos ad Sacramenta admitti qui, etsi coacte, Associationibus spiritualis perversionis adsistunt» (Fabregas, l. c., p. 313).

3 «Ita v. c. hac excommunicatione plectuntur qui in iis communistarum Associationibus pueros calumnias contra Ecclesiam doceret, qui eos in obscenitates induceret, qui eos corruptelarum vitiorumque oblectamentis incitaret, qui ab eorum mentibus verae religionis notionis eveleret, qui eos ad blasphemias provocaret» (Fabregas, l. c., p. 312).

X. BAPTISMUS FILIORUM INFIDELIUM

Doctrina.

128 Perspicuum duco filios infidelium licite baptizari si, annos discretionis adepti, petant ipsi baptismum, parentibus sive consentientibus sive adversantibus (can. 745, § 2): non enim quoad huiusmodi sub parentum cura amplius existunt. Constat pariter infantes infidelium baptizari licite id si parentes petant vel tutores quorum custodiae subsunt. In utroque attamen casu satis liquet consulendum esse religiosae educationi simul ac libertati baptizati quoad religionis catholicae exercitium.

Suppono infantes infidelium, quantumcumque parentes renuant vel tutores, valide tamen baptizari. Quaestio inter theologos agitata ad baptismi, in casu, liceitatem attinet.

Pro D. Thoma¹ infidelium parvuli non sunt, ut plurimum, invitibus parentibus seu tutoribus baptizandi, quoniam illos contra voluntatem horum baptizare non consuevit Ecclesia, cuius profecto consuetudo est semper aemulanda. Ad hanc Ecclesiae praxim tutandam Doctor Angelicus induxit duplex argumentum; primum quidem, quod secundum ius naturale pueri sunt sub cura parentum quandiu ipsi sibi providere nequeunt, igitur contra iustitiam naturalem esset si tales pueri invitibus parenti-

¹ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 10. 12. Contra adversarios, haec Vitoria: «Notandum est. quia omnes procedunt Ista via, non sat est probare, ad hoc quod possimus baptizare filios infidelium, quod Deus praecepit baptismum et quod merentur ipsi (parentes) perdere dominium super pueros; sed opus est probare quod nos sumus exsecutores illius legis; sicut Italus latro meretur crucem, sed non potest suspendi ab hispanis. sed a suo iudice» (tn II-II 10. 12. n. 14. ed. Beltrân de Heredia).

bus baptizarentur, sicut si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus; alterum, quoniam esset periculosum illos, in his adiunctis, baptizare ob periculum perversionis cum adoleverint x.

Dixi tamen *ut plurimum*, quoriam triplex exceptio in Codice signatur: «Infans infidelium (cf. 48n). etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur: 1.º Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant. 2.º Si parentes, idest pater, mater, avius, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant» (canon 750).—«Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim servantur normae in superiore canone constitutae» (can. 751).

In mortis igitur periculo, infans infidelium licite, etsi invitis parentibus baptizatur: versatur etenim in extrema necessitate et ideo sub cuiusque providentia constituitur. Hinc Benedictus XIV, qui dixerat: «Praevaluit in tribunalibus S. Thomae sententia... atque inter theologos canonumque peritos vulgatio est» (Denz. 1482). subdidit: «Cum id eveniat, ut ab aliquo Christiano Hebraeorum puer morti proximus reperiatur, rem opinor laudabilem Deoque gratam is certe efficiet, qui salutem puero aqua lustrali praebeat immortalem» (Denz. 1484).

Extra mortis quoque periculum—dummodo tamen catholicae educationi parvuli caveatur—, tum si unus e parentibus vel tutoribus consentiat, quippe qui iure

1 S. Thomas, I. c., et III, 68, 10.

utitur suo eoque recte, cui propterea deferendum est tum si parentes vel tutores desint aut lus in puerum amiserint sive exercere nequeant, quoniam his in adiunctis iterum parvulus committitur cuiusque providentiae.

Casus primus.

130 Georgius, calvinista, filium obtinuit quem vult in propria eius secta baptizatum. Cum non adsit in civitate minister huius sectae, puerum defert sacerdoti catholico, atque distinguens, pro suo errore, inter Ecclesiam Christi et Ecclesiam catholicam, petit puerum baptizari non ita ut fiat catholicus sed ita ut fiat Christianus. Sacerdos induisit; quapropter baptismum administrans intendit, facere non id quod facit Ecclesia catholica sed id quod facit Ecclesia Christi.

Quaeritur: Num baptismus fuit valide collatus et quatenus affirmative, num etiam licite.

Solutio

131 Suppono nullam requiri intentionem penes parvulum baptizandum—est enim incapax—; intentionem quoque

1 Ipse Benedictus XIV: «Si parentes desint, infantes vero alicuius Hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit.. Si pater Christianae militiae nomen daret iuberetque infantem filium baptizari; eum quidem vel matre Hebraea dissentiente baptizandum esse, cum filius non sub matris, sed sub patris potestate sit habendus. Quamvis mater filios sui iuris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat et Infantem offerat baptizandum, tametsi pater Hebraeus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse... Quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus..., si avus patemus catholicam fidem amplexus sit ac nepotem ferat ad sacri lavscris fontem, quamvis mortuo iam patre mater Hebraea repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus» (Denz. 1486).

parentum non esse necessariam, quapropter horum rectam aut pravam intentionem non efficere baptismum validum aut invalidum. Tota igitur quaestio ad unam intentionem ministri coarctatur.

De fide est requiri penes ministrum intentionem id faciendi quod facit Ecclesia (Denz. 854). Non tamen requiritur intentio id faciendi quod intendit Ecclesia facere: intentio enim versatur circa finem; etsi Ecclesia igitur, ministrans sacrum ritum institutum a Christo, intendat per baptismi lavacrum gratiam conferre, minister non necessario debet intendere collationem gratiae. Neque ergo requiritur ministrum intendere baptizandum recipere characterem, fieri filium Dei et caelorum heredem. Immo nec est necesse quod minister intendat parvulum catholicae Ecclesiae cooptare: de facto qui baptizati fuerunt ab haereticis non rebaptizantur cum ad Ecclesiam catholicam se transferunt, quamvis haeretici baptizantes non modo non intenderint illos Ecclesiae adscribere catholicae, sed et fortasse renuisissent eis baptismum conferre quos noverint vi baptismi catholicae Ecclesiae subiciendos. Minister igitur qui, intendens facere id quod facit Ecclesia Christi, utitur forma debita dum abluit parvulum, validum baptismum administrat. Baptismus ergo in casu nostro, validus.

An etiam licitus?

132

Abstractione facta a suspitione haereseos quam incurrit sacerdos noster, baptizans parvulum ad mentem offerentis, ita scilicet, quod is Christianus fiat, non tamen catholicus—nam sola Ecclesia catholica est vera Christi Ecclesia—; praetermisso quoque gravi peccato cuius, abs dubio, reus est qui cum sit minister Ecclesiae catholicae vices gerit ministri calvinistici: hoc est prorsus tenendum, baptismum de quo agitur—nisi parvulus ver-

saretur in eo vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus ante rationis usum—fuisse illicitum.

Primo, quod non aderat consensus parvulum deferentis; hic enim volebat parvulum calvinistam, non catholicum. Possumusne loqui de alia voluntate praedominante? Affirmative, si qui puerum defert ad baptismum mavult ipsum catholicum quam alienatum ab Ecclesia Christiana; negative, contra, si mavult ipsum extra Ecclesiam Christi potius quam intra Ecclesiam catholicam.

- 133 Insuper, quod, in meliori etiam hypothesis, praedominantis nempe voluntatis qua pater, puerum deferens, mallet ipsum catholicum quam non-christianum, adhuc deest condicio baptismi licitae collationi a Codice requisita, «dummodo catholicae eius educationi cautum sit»; haec etenim educatio non est moraliter certa, immo neque moraliter probabilis; et ideo manet baptizato periculum perversionis cum adoleverit.

A lii casus.

- 134 C. II.—«An, cum sacerdotes coguntur a Tureis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitali morbo, maleficiorum periculo et lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma?»

Sol.—S. Officium respondit (5 sept. 1625): «Negative,

1 «Se da due conlugl protestant!, per mancanza di un proprio ministro, si présentasse ai parroco o altro sacerdote cattolico un loro bambino da battezzare, dichiarando che non intendono punto con ciô di obb'igarsi d. educarlo nella religione catolica. potrà il parroco battezzarlo per assicurare intanto alVinnocente bambino la etema salute, prescindendo da quanto potrà avvenire in seguito, quando sla glunto all'età della discrezione? R. Negative, praeterquam in articulo mortis» (S. Officium, 26 aug. 1885; *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 1643, ed. 1907).

quia baptismus est ianua sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest» (Denz, 1489).

C. III.—Hermellus, missionarius, petit: Num baptizandi sint indiscriminatim omnes pueri cum saeviente peste, de centum pueris, ut plerumque accidit, nonaginta pereunt; aut cum populares morbi pessimae indolis multo maximam partem absumunt puerorum, antequam rationis usum attingant? 135

Sol.—Responsum dederat (17 apr. 1777) S. Congr. de Prop. Fide: Negative; nam S. Sedis Constitutiones et Decreta quae baptismum favent «loquuntur de isto praesenti periculo quod hominem baptizandum determinate attingit..., non autem loquuntur de illo communi et vaganti periculo in quo nec vocabulum nec notio articuli mortis ullo modo convenit. Deinde animadvertendum, tametsi vi morbi plerique infantes absumantur, semper tamen nonnullos superesse, vel quibus morbus parcat, vel qui morbum vincunt. Isti porro, si omnes indiscriminatim infantes baptizantur, consequens est ut sub cura infidelium remaneant, pravis eorum superstitionibus imbuendi» l.

C. IV.—Vitalis, catechista in regione quadam infidelium, omnes horum infantes quotquot reperit morti proximis, indiscriminatim baptizat et aperte; quamvis noverit hac agendi ratione odium in Christianam religionem concitari saevitiamque in Christianos. 136

Sol.—Vitalis est carpendus, nam S. Congr. de Prop. Fide iam admonuit (Instr, citata): «In ipso quoque mortis articulo baptizandos quidem filios infidelium, sic tamen ut scandalum vitetur, nec proinde maius

l *Collectanea*, n. 522.

quoddam infidelium odium in Christianam religionem atque in Christianos saevitia concitetur» 1.

- 137 C. V.—Rutilus vult scire quo modo se gerat missionarius erga infidelium filios qui ea tantum edunt rationis indicia quae apparent in pueris quattuor vel quinque annorum?

Sol.—Ex eadem Instructione S. Congregationis: explorandum est an tali rationis usu polleant quo boni et mali moralis discrimen agnoscant et sint capaces cul-pae. Si prudenti iudicio existimantur capaces peccati, more adultorum adducendi sunt ad baptismum. Si prudenti iudicio non censentur cul-pae capaces: a) aut existimatur prudenter hanc rationis impotentiam fore perpetuam, et sunt baptizandi; b) aut spes aliqua subest ut deinceps evolvatur, et tunc distinguendum est: si versantur in mortis periculo, baptizentur; alias expectetur certius rationis indicium ut more adultorum baptizentur. Si dubia tantum signa suppetunt, tunc si necessitas non urgeat, expectetur commodior et maior cognitio; si necessitas urgeat, baptizentur².

- 138 C. VI.—Rutilus instat: Ageretne licite missionarius qui, post diligens examen, ambiguos illos amentes occulte baptizaret hac vel simili condicione: Si incapax es auditus fidei, si irremediabilis ignorantiae tenebris es involutus, si incapax es instructionis adultis necessariae ante baptismi susceptionem..., ego te baptizo, etc.?

Sol.—Eadem Instructione ipsamet S. Congregatio statuit: «sacros ministros ab usurpanda proposita formula omnino abstinere oportebit» 3.

i *Collectanea*, l. c.

» *Ibidem*.

» *Ibidem*.

C. VII.—Rogat denique missionarius noster: Utrum licite baptizari queant infidelium filii amentes a natiuitate, de quibus nulla spes est fore ut aliquo deinceps rationis intervallo potiantur?

Sol.—Ex praedicto documento Congr. de Prop. Fide: Affirmative, quia inter infantes computantur; dummodo «vere probabili ac prudenti iudicio perpetua censeatur illa rationis impotentia... Cautè tamen ac prudenter in illis, aut inquirendis aut baptizandis, gerere se sacros ministros oportebit, ne in Christianam religionem infidelium odium et saevitia in fideles concitetur» \

XI. BLASPHEMIA

Doctrina

Magister Sententiarum (t 1164) definivit blasphemiam «per quam de Deo falsa dicuntur»; Haymo (t 853) vero scripserat: «Blasphemare est contumeliam vel convicium aliquod inferre», in iniuriam nempe Creatoris, prout veteres scholastici compleverunt. Utrobique habemus locutionem; ibi, falsam *de* Deo; hic, contumeliosam potius *contra* Deum. Exinde nonnulli theologorum blasphemiam acceperè quasi uni oppositam religioni; alii, ut potissimum confessioni fidei oppositam. Et hi rationalius, quoniam ex oblecto sive fine operis actus humanus recipit suam primam bonitatem aut malitiam². Quapropter D. Thomas agit de blasphemia in tractatu de fide, prout est nempe opposita fidei confessioni sive externo actui

¹ *Collectanea*, l. c.

² De hac quaestione fuse locutus sum in art. *Proprius blasphemiae locus*, in *Angelicum*, 14 (1937), pp. 154-174.

³ S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, q. 13.

141 Quamvis igitur omnis blasphemia sit haereticalis, alia talis est in actu signato et alia in actu exercito. In actu signato haereticalis est, et communiter *haereticalis* seu *enuntiativa* nuncupatur, qua expresse aut asseritur de Deo quod Deo non convenit, aut negatur de Deo quod Deo convenit, aut creaturis attribuitur quod est proprium Deo—vocando, v. gr., Deum iniustum; daemonem, sanctum; amasiam, deam—. In actu exercito haereticales sunt blasphemiae, quae passim veniunt simplices, tum *dehonestativae* seu *probrosae*, quibus quod secundum veritatem de Deo affirmatur aut negatur, irrisorie vel turpiter profertur—v. gr., Vah qui destruis templum Dei! Vicisti, Galilae!—, tum *impraecativae*, quibus malum optatur Deo—v. gr., Pereat Deus! Maledictus sit Deus!—; his etenim vel attribuitur Deo ut vituperabile quod vituperabile in Eo non est, vel attribuitur Ipsi malum ut possibile quod impossibile prorsus Ei. Attamen blasphemia haereticalis, quomodocumque sumpta, oportet secernatur a blasphemia cum haeresi, nam contingit plures fidem negare exterius quam interius retinent

142 Praeter hanc blasphemiae distinctionem ex parte modi, aliae ratione termini, actus et intentionis recensentur. Terminus namque sive obiectum dehonorationis, Deus, etiam in sanctis atque operibus naturae excellentioribus resplendet maxime; ideo alia est blasphemia *immediata* in Deum, alia vero *mediata*, in Deum per creaturas². Actus etiam sive locutio secernit blasphemiam

¹ Sic et frequenter proximum vocamus stultum, ignorantem; pro certo tamen habentes eum pollere ingenio pariter ac scientia.

² : «Cum b'asphemantes non intendant generatim illas (creaturas) afficere inluria ob propriam earum excellentiam, sed *tantum* mediate prout ad Deum referuntur, non adest peccatum contra dulum, sed contra solam religionem et fidem. Si autem sancti, non ut sancti spectarentur. sed in se. formaliter abstrahendo a relatione in Deum, in quantum homines sunt, esset peccatum contra solam dulum sanctis debitam, leve

miam *cordis* seu internam, quae nunc non agitur, *oris*, id est verbo aut scripto, quae sola nonnumquam reservari aut poenis plecti canonicis praesumitur, et *operis*, v. gr., conculcare hostiam consecratam, spuere in caelum. Ex parte denique intentionis, blasphemia distinguitur *directa* seu *diabolica*, si profertur ad Deum inhonorandum, et *indirecta*, si profertur quamvis dehonoreans Deum

Licet omnes blasphemiae sint unius speciei² illarum 143
quaedam malitiam important superadditam, puta infidelitatem—si blasphemia cum haeresi—, odium Dei—si blasphemia diabolica—, sacrilegium—si blasphemans opere hostiam consecratam conculcat.

Tametsi diversae gravitatis capax—sic gravior blasphemia immediata quam mediata, immediata autem ratione divinitatis quam ratione humanitatis assumptae, a fortiori ratione sacramenti—, blasphemia mortale innuit peccatum ex toto genere: derogans enim bonitati Dei, repugnat caritati, quam ideo expellit; porro vel minimum malum quod inesset Deo aut minimum bonum quod abesset ab Eo totum destrueret Deum. Ob solam

si fiat ex ioco (v. g. S. Crispinum vilem sutorem vocando. S. Petrum calvum, SS. Iohannem et Paulum eunuchos), grave si procederet ex ira, Indignatione, contemptu vel odio contra eos» (Merkelbach, *Th. Mor.* I. η. 784, ed. 3).

1 «Quandoque nocumentum quod provenit ex peccato, est praevisum et Intentum: sicut cum aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur. Et tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati: quia tunc nocumentum est per se obiectum peccati. Quandoque autem nocumentum est praevisum, sed non intentum: sicut cum aliquis transiens per agrum ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his quae sunt seminata in agro, scienter, licet non animo nocendi. Et sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatura, sed Indirecte: inquantum scilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum, procedit quod aliquis non praetermittat facere damnum sibi vel alii, quod simpliciter non vellet» (S. Thomas, *l. c.*, I-TI. 73, 8).

» Cf. Caietanum, *in II-II*, q. 13, a. 1, n. 8; Merkelbach, *l. c.*

igitur imperfectionem actus eam contingit intra limites peccati venialis contineri.

Casus primus.

144 Aristarchus haec, inter alia, declarat confessario: Non raro indignabundus haec similiave verba protuli: «Per Deum», «Per Christum», etc., Socios etiam quos in caupona ebrios deprehendo, eludere et pervellere soleo, etsi praevideam ipsos in blasphemias haereticas atque dehonestativas prorupturos.

Quaeritur:

1. Num prima illa verba sint blasphema?
2. An quae obiective blasphemiae sunt, sint tales penes ebrium? et quatenus affirmative,
3. Quomodo imputentur Aristarcho blasphemiae quas praevidet secuturas?

Solutio

145 *Ad Ium.*— Verba illa «Per Deum», «Per Christum», secundum se non sunt blasphema, at reliquiae potius quarundam iurisiurandi formularum. Ideo Mare: «Locutiones iuratoriae (etsi vanae) generatim inter blasphemias non recensentur: v. gr., *per Deum, per Christum, per Sanctos, per sacramenta, etc.*»¹. Verum blasphemiae fierent si indignatio directa esset in Deum. Mentem exploret confessarius. Immo, etsi defuerit indignatio, videat num verba illa haberentur ab Aristarcho uti blasphema, quod de culpa subiectiva iudicet praeterita et de errore moneat pro futuro².

¹ MARC, *Instit. Mor.*, I, 598, ed. 1927.

² «Curet ne relinquatur in suo errore, qui versantur in stntu conscientiae erroneae. Melius est permittere innumera peccata venalia, quam unum mortale» (Id., ib., n. 599).

Ad Illum.—Negant Salmanticenses, quoniam blasphemiae, dicunt penes ebrium sunt merus sonus, non aliter ac si a pica prolata essent¹. S. Alphonsus asserit, quia haec verba in ore ebrii Deum inhonorant et adversantur divinae bonitatis confessioni². Vermeersch distinguit inter blasphemias prolatas «quasi mechanice et sine advertentia ad significationem» et directas, ex ira. in Deum; illas excusat a blasphemia, has de blasphemia damnat³. Quam tamen distinctionem Ballerini-Palmieri iam exploderant, nam quoad ea quae inadvertenter profert ebrius certe non differt a sui compote⁴. Sed in ipsos Salmanticenses insurgunt quoque Ballerini-Palmieri: «Hi nimirum supponunt, verbis ab ebrio prolatis non respondere conceptum mentis. Quasi vero ebrius dum vinum petit, dum contradicentibus irascitur et iratus insultat, maledicit, minatur, imprecatur, nullus mentis conceptus responderet. Omittamus enimvero quaestionem, an fieri aliquando possit, ut ebrii membra et in his lingua mere mechanice moveatur. At absurdum est id de praedictis casibus suspicari. Confundunt igitur Salmanticenses duo disparatissima, scii, ullum habere mentis conceptum et dominium habere suarum mentalium facultatum». Iure igitur concludunt: «Merito S. Alphonsus hisce doctrinis non adhaeret, nec nos possumus acce-

¹ Salmanticenses *Mor.*, tr. 25, c. 2, n. 30 ss.

² S. Alphonsus, *Th. Mor.*, lib. 5, de peccatis, n. 78, ed. Gaudé.

³ Vermeersch, *Th. Mor.*, I, 500, ed. 1926; II, 260, ed. 1928.

⁴ «Vasquez vero et Sayri ratio aequivoco laborat aut supponit falso quaestionem esse de eo qui vel blasphemat, vel periurat, quia non cognoscit verba a se prolata continere aut Dei contumeliam aut falsitatem. Non enim haec quaestio est, quae sane locum habebit etiam in homine non ebrio, qui non intellegat sensum verborum aut veritatem ignoret invincibiliter. At sermo est de ebrio, qui cognoscat se verba in Deum aut Sanctos contumeliosa proferre, etc., excusetur tamen (quoad praesentem actum) quia dominium suorum actuum non habet, non secus ac videt se male agere dum in ira contundit pugnis, rumpit vasa, cultro ferit, etc. Ergo haec omnia extra chorum dicuntur» (Ballerini-Palmieri, *Opus Th. Mor.*, I, p. 599, ed. 1892).

dere illi, dum dicit se non audere Salmanticensium opinionem dicere improbabilem»

- 147 *Ad Illum.*—Praemittamus verbum de provocatione directa. De hac Vermeersch: «Nefas semper erit ebrios ad blasphemias provocare. Si enim eos directe provocaveris, per eos sicut per instrumentum blasphemare videaris; quod graviter culpandum est» 2. Hic autem non est casus.

Aristarchi propterea culpabilitatem ad regulas voluntarii indirecti mensuranda est. Porro imputabilitatem non effugiet nisi quos ipse ponit actus propria careant malitia et sit ipsi proportionata ratio socios eludendi ac pervellendi, blasphemias subsequentibus non obstantibus.

Et si quidem facile putamus actus illos iocosos indifferentes esse secundum se, nobis tamen proportionata haec ratio prorsus occulta manet. Eam confessarius scrutetur priusquam indicium ferat.

A l i i c a s u s .

- 148 *C. II.*—Fantinus, confessarius, nescit quandonam habendae sint uti blasphemae locutiones quibus paenitentes dicunt se indulxisse.

Sol.—Locutio est blasphema quando ex terminis—ad propriam quidem significationem, vel ad communem acceptionem. vel ad mentem saltem loquentis—de Deo falsum enuntiat vel indecorum Deo Inter has locutiones numerantur: Deus est crudelis; Deus nullam gerit de rebus humanis providentiam; Velit aut nolit Deus, hoc agam vel agendum est; Perdat te sanguis Christi! Sunt pariter blasphemiae tum iuramenta per falsos deos, tum

» Ballerni-Palmieri. l. c.

« Vermeersch, l. c., I, 500.

maledictiones in res sacras, immo et in creaturas ut creaturas Dei.

C. III.—Caecilius, parochus, petit a theologo quomodo se gerat in dubio num aliqua locutio sit blasphematoria. 149

Sol.—«In dubio utrum aliqua locutio sit blasphematoria, non est per se ut talis habenda; sed attendendum est ad proferentis conscientiam» *

C. IV.—Florentius a confessario sciscitatur num sit blasphemia proferre nomen Dei vel sacrorum in ira contra irrationalia vel etiam homines. 150

Sol.—Negative, nisi indignatio sit directa in Deum.

C. 7.—Benvenutus interrogat sacerdotem num blasphemet qui per vitam Dei vel Sanctorum iurat. 151

Sol.—Negative; nisi iuramento hic sensus tribuatur: Amittat Deus vel Sancti vitam si res non est prout ipse met testor.

C. VI.—Bernardinus se in confessione accusat de his similibusque locutionibus: Renego Deum, te nisi percussero; Hoc est ita verum sicut Deus. 152

Sol.—Istae locutiones non sunt blasphemae; eis enim non nisi certitudo exaggeratur vel animi percutiendi vel facti enarrati.

C. VII.—Ad Hyginum plures accedunt paenitentes qui se accusant de blasphemiiis in ira prolatis; se tamen excusant quod non adverterint ad falsum sive Deo contumeliosum verborum sensum. 153

Sol.—Ad peccatum quidem blasphemiae requiritur advertentia ad falsum vel contumeliosum sensum verbo-

1 Marc., I. c.

rum. Et interdum profecto sic ira praepeditur rationis usus quod iratus non advertat verborum quibus utitur contrarietatem ad fidem vel honorem Dei. Nihilominus equi in ira et indignatione profert verba blasphema sive ad demonstrandam iram, sive ad terrendos filios, sive ad stimulandos equos, non quidem cum animo inhonorandi Deum, sed tamen advertens ad irreverentiam quae illis verbis continetur, peccatum blasphemiae committit»

- 154 C. VIII.— Nonnulli quoque paenitentes se apud Theodulum, confessarium, excusant quod dum pronuntiarunt verba blasphema non habebant pravam intentionem inhonorandi Deum.

Sol.— Excusatio prorsus inepta. Quoniam prava intentio inhonorandi Deum est blasphemiae diabolicae peculiaris (142); nec ideo necessaria ceteris blasphemis. Indirecta sufficit atque implicita «quae iam adest in voluntaria et assertiva (non narrativa) prolatione verborum quae sensum iniuriosum in Deum continent» 2.

- 155 C. IX.— Dubitat Sabinus, confessarius, num sint blasphemiae rei qui advertenter quidem pronuntiant formulas in se blasphemias, non tamen secundum blasphemiam significationem, verum instar interlectionum nihil determinate significantium.

Sol.— Eos nec de blasphemia materiali damnat Vermeersch³, quoniam sublata, inquit, significandi intentione, verba sunt merus sonus. Damnant e contra et me-

1 Noldin, *Th. Mor.*, II. 201, ed. 1932.

2 Ter Haar, *Casus consc. de praec. h. act. vitiis*, etc., n. 91, ed. 1936. Qui iure subdit: «Hoc probe advertant aliqui confessarii qui nimis facile blasphemias excusare nituntur. Utique qui ex proposito, diabolica actus malitia, verba contumeliosa in Deum eructat gravius peccat; sed hoc minime impedit, quominus et alii blasphemias communes gravissimae culpae rei sint».

3 Vermeersch, *l. c.*, II, 260.

ritG de blasphemia formali plures alii, ideo quod adverte-
tenter proferens assertive blasphemam formulam is, sal-
tem indirecte, vult honoris Deo debiti laesionem. De re-
liquo, si formula est blasphema, non modo propter lo-
quentis intentionem, verum etiam atque primario ob
significationem sibi propriam (142), quomodo formulam
in se blasphemam quis, significationis conscius, pronun-
tiaret instar interlectionis, nihil determinate signifi-
cantis?

Huc e volumine superiore Casus accedant: Blasphemans ex habitu; Femina turbata ideis blasphemiae
(I, 109 s.).

XII. BLASPHEMIA IN SPIRITUM SANCTUM

Doctrina,

Dixerat Dominus: «Arnen dico vobis, quoniam omnia ¹ 156
dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae qui-
bus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spi-
ritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum,
sed reus erit aeterni delicti» (Mc. 3, 28 s.; cf. Mt. 12, 31 s.,
Lc. 12, 10). Ad haec Augustinus: «Dico Caritati vestrae:
forte in omnibus sanctis Scripturis nulla maior quaestio,
nulla difficilior invenitur» ».

Non est igitur mirum si blasphemiam in Spiritum
sanctum non uno prorsus sensu interpretati sint catho-
lici doctores. Alii siquidem, litterae evangelicae ad-
haerentes, veram blasphemiam intellexerunt, non prae-
cise in tertiam Personam SS. Trinitatis—nondum clare
revelatae his quibus Christus loquitur—, sed in Deum.

¹ S. Augustinus, sermo 71 *de verbis Domini*; PL, 38-39, 449.

qui est certo spiritus et sanctus, prout illa miraculosa opera quae luculenter operabatur Deus ad confirmandam praedicationem Christi et salvandas animas, haec ipsamet pharisaei attribuebant pravo spiritui, sic impugnantes lucem atque sterilizantes divinas has extraordinarias gratias. Alii, commoti irremissione quam minatur Dominus, peccatum acceperunt vel quod simpliciter est irremissibile—compulsi ideo ut blasphemiam in Spiritum sanctum impaenitentiam finalem negativam dicerent—, vel quod natura sua excludit remissionem—ducti propterea ut peccatum in Spiritum sanctum peccatum ex malitia verterent seu industria.

157 Dicitur peccatum ex malitia quod procedit, non ex Ignorantia—seu defectu intellectus—aut ex passione—seu defectu sensitivi appetitus—, sed ex una scilicet electione—sive defectu voluntatis—. Peccans ex ignorantia nescit se malum agere; peccans ex passione non advertit hic et nunc malum quod agit; peccans vero ex malitia scienter et volenter eligit hoc malum ne privetur exoptato bono: amans etenim prae bono spirituali temporale commodum, scienter eligit privari illo potius quam hoc careat l. t

At peccare ex malitia dupliciter contingit: ex corrupta scilicet dispositione versa in habitum, et ex sola remotione prohibentis—quae non est habitus—. Ex corrupta quidem dispositione versa in habitum: prout enim disposito secundum passionem bonum apparet id quod

l «Peccatorem (dividit Aristoteles) in ignorantem, incontinentem et intemperatum. Inter quos hoc statuit discrimen. Quod Ignorans nescit—culpabiliter scilicet—id quod agit esse malum. Incontingens vero scit absolute esse malum, sed hic et nunc non advertit propter impetum culpabilem passionis. Intemperatus autem nec Ignorat neque eius advertentia turbatur a passione, sed peccat ex electione voluntatis, atque adeo prosequitur voluptatem peccati, non quia vincitur, sed quia eligit» i Petrus de Tapia, *Catena Moralis*, lib. 3. de vitiis et pecc., q. n, a. 3. n. 3).

passio suggerit, ita et habenti habitum id est diligibile in quod inclinatur habitus. Ex sola quoque remotione prohibentis, quae non est habitus, nam «per spem revocamur a malis et introducimur in bona prosequenda; et ideo, sublata spe, irrefrenate homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur»

Peccatum autem ex certa malitia ob remotionem pravam electionem impediens venit quidem peccatum speciale. uti videbimus (159); et quamvis proprie non sit blasphemia, cum non importet dehonorationem formalem Dei (141). non attamen incongrue blasphemia in Spiritum Sanctum praedicatur. Blasphemia quidem, nam prout opus et vita virtuosa cedunt in laudem Dei. sic opus atque vita vitiosa dicunt dehonorationem Dei virtuales seu interpretativas; unde Apostolus: «Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes» (Rom. 2, 24). Blasphemia insuper in Spiritum Sanctum: prout attribuitur enim potentia Patri, et hinc peccatum ex infirmitate vel passione—quo abicitur effectus divinae potentiae qua homo poterat ab infirmitate liberari—nominatur peccatum in Patrem; et prout attribuitur sapientia Filio, indeque peccatum ex ignorantia—quo removetur effectus divinae sapientiae qua homo poterat ab ignorantia vindicari—appellatur peccatum in Filium; sic et bonitas Spiritui Sancto attribuitur, ideoque peccatum ex malitia—quo homo removet ea quibus a prava sua electione poterat impediri—recte peccatum in Spiritum Sanctum nuncupatur. 158

Removet autem homo ea quibus a prava sua electione poterat impediri dum abicit, cum desperat aut praesumit, spem aut timorem—quibus avertitur a peccato ex 159

i S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 20, 3.

consideratione divini indicii, conflati ex misericordia et iustitia—, cum impugnat salutarem veritatem agnitam aut, fraternae invidus gratiae, veritatis salutaris agnitionem et gratiae auxilium—quibus et exterius et interius nos Deus a peccato retrahit—, cum proponit denique non paenitere atque in malo obstinatur, opinionem illam salutarem quam vi propriae sive inordinationis et turpitudinis, sive parvitas brevitasque. ipsum gignit peccatum. Ideo desperatio, praesumptio, impugnatione veritatis agnitae, invidia fraternae gratiae, impaenitentia positiva et obstinatio congrue species ponuntur peccati quod dicitur ex malitia ob unam remotionem prohibentis.

«Quodlibet istorum quae dicta sunt potest dupliciter accidere. Uno modo ex hoc quod per se voluntas tendit in unumquodque ipsorum, ut quia aliquis non vult habere spem de futuris praemiis, aut non vult veritati notae assentiri, et sic de aliis; et hae tantummodo sunt species peccati in Spiritum sanctum: quia sic. per se loquendo, est desperatio vel praesumptio, et sic de aliis, quando voluntas per se in actum desperationis labitur. Secundo potest accidere ex exteriori aliquo, vel propter defectum rationis regentis, vel propter aliquem impetum alicuius impellentis, sicut quando per infirmitatem vel Ignorantiam aguntur; et sic non sunt species peccati in Spiritum sanctum: quia sic non est dicendus aliquis desperatus per se, sed per accidens» l.

Casus primus.

160 Quondam Isaacus peccavit ex malitia; paenituit quidem postea et sollicitus est de observatione mandatorum Dei et Ecclesiae, bino tamen excepto, videlicet de

i S. Thomas, in 2 *Sent.*, d. 43, a. 3. 7m.

confessione annua et de communione paschali Hanc enim omittit quod conscientiam habet gravis peccati. Illam vero quod audivit a theologo peccatum ex malitia existere blasphemiam in Spiritum Sanctum et legerat ipse in Evangelic hanc blasphemiam esse irremissibilem, cuius igitur confessio inutilis.

Qui est Isaaco reponendum?

Solutio

Quod non sufficit legere Evangelium, at oportet illud 161
intellegere ad doctrinam Ecclesiae, quae una est revelationis sensus interpret infallibilis (1). Porro iam dixerat Gelasius papa: «Nullum est peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel paenitentibus relaxare, cui dicitur: *Quaecumque dimiseritis super terram...*, *quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. In quibuscumque omnia sunt, quantacumque sint et qualiacumque sint*»

Blasphemia igitur in Spiritum Sanctum, sive peccatum 162
ex malitia, dicitur a Christo irremissibile, quia quantum est de se remissionem excludit: ex se namque excludit titulum ut remittatur umquam, Qui enim peccat ex ignorantia vel ex passione meretur ut poena mi-

1 Denz. 167.—«Quod non possit per veram paenitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem quia repugnat divinae misericordiae, de qua dicitur Joel., 2. quod *benignus, et misericors est, et patiens, et multae misericordiae, et praestabilis super malitia*. Vinceretur quodammodo enim Deus nb homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundo, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam paenitentia operatur, sicut et cetera sacramenta: cum scriptum sit I Ioan.. 11: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi*» (S. Thomas, *Summa Theol.*, III, 86. 1).

nuatur peccato debita; qui autem ex malitia, omni prorsus excusatione caret. Unde ad quaestionem: Cur peccatum in Spiritum Sanctum numquam remittatur, Maldonatus respondet: «Non utique propterea quod remitti non possit...; neque propterea quod numquam remittatur, credibile enim est aliquos etiam ex illis, qui tunc Christum dicebant in Beelzebub eicere daemonia, postea resipuisse; sed propterea quod, qui in Spiritum Sanctum peccant, nullam peccati excusationem habeant, ideoque natura sua veniam non mereantur. In aliis enim plerisque peccatis aut ignorantia aut infirmitas, si non omnino, aliqua saltem ex parte culpam excusat. *Misericordiam*, inquit D. Paulus, *consecutus sum, quia ignorans feci; et ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus; spiritus vadens et non rediens*. At in peccato in Spiritum Sanctum nihil eiusmodi, quod culpam elevare possit, reperitur. . Eodem fere redit, quod Chrysostomus ait, ideo dici numquam remitti, quia difficilius remittitur. Sed melius, ut diximus, alii, quia natura sua, cum excusationem nullam habeat, remitti non potest, sicut alio loco Christus dixit: impossibile esse, ut dives in regnum caelorum intret, non quod Deo, sed quod natura sua impossibile sit» x.

1 Maldonatus, in Mt., 12, 31 s.; ed. Raich, 1874, t. I, pp. 254 s,— «Une autre interprétation, qui entend *moralem* le non *remittetur*, a été proposée par saint Cyrille d'Alexandrie... Le sentiment de saint Cyrille a été repris par saint Thomas et formulé en termes d'une précision bien supérieure... Il semble que nulle autre formule ne rende d'aussi près la pensée de nos textes. Concluons avec le P. Lagrange, *Évangile selon saint Matthieu*, p. 345: 'Tel est le péché. Jésus a dit qu'il ne serait pas remis. Il ne saurait être excusé par la faiblesse humaine ou par ces circonstances qui sollicitent la miséricorde. Mais aucun auteur chrétien, regardant du côté de Dieu, n'a osé limiter sa miséricorde et, quand on regarde l'homme qui demande le pardon, personne n'a le droit de le refuser en alléguant l'Évangile. Le reste est le secret de Dieu'» (Lemonnyer, art. *Blasphème contre le Saint-Esprit*, in *Diet, de la Bible*, supplément, t. I, col. 988 s.I.

A lii casus.

C. II.—Alpiniano, theologorum libros revolventi, per- 163
mirum fit quod odium Dei, peccatorum abs dubio ma-
ximum, non computetur inter peccata in Spiritum
Sanctum.

Sol.—Ideo non computatur in species peccati in Spi-
ritum Sanctum quia inhaeret harum cuilibet: in sena-
rio siquidem illo numero habetur odio Deus largitor om-
nis bonorum generis a prava electione retrahentium.
Odium igitur Dei venit revera peccatum ex malitia et
peccatum in Spiritum Sanctum \

C. III.—Terentianus parochum interrogat cur theo- 164
logi finalem impaenitentiam negativam non agnoscant
peccatum in Spiritum Sanctum quod Christus pronun-
tiavit irremissibile.

Sol.—Quantumcumque finalis haec impaenitentia sit
simpliciter irremissibilis—nam peccatum sine paeniten-
tia remitti nequit et paenitentiam excludit qui impaeni-
tens decedit—, eam non putant theologo signatam ver-
bis Christi quod hic loquitur de speciali peccato—a ce-
teris. v. gr., a peccato in Filium hominis, distincto—, at
illa non est peccatum speciale: contingit enim quem
morte praeveniri deditur furto, rixis vel luxuriae—di-
versis scilicet peccatis—, et ideo est circumstantia pec-
cati cuiuscumque.

C. IV.—Cur tamen, ipse instat, impaenitentia posi- 165
tiva dicitur peccatum speciale?

Sol.—Quoniam impaenitentia positiva propositum im-
portat vel tunc non paenitendi cum instabit paeniten-

1 S. Thomas, *l. c.*, II-II, 34, 2, Im.

tiae praeceptum—quod in articulo vel periculo mortis proculdubio urget—; hoc autem propositum opponitur speciali virtuti, paenitentiae nempe.

166 C. V.—Eulogius postulat a theologo cur peccatum illorum qui attribuebant diabolo opera Dei manifestissima dicatur peccatum speciale idque irremissibile.

Sol.—Agebatur peccatum speciale, impugnatio veritatis agnitae (159), tantoque gravius quanto evidentius apparebant divina opera quae diabolo tribuebantur. Dicitur autem irremissibile, quia quantum est de se remissionem excludit: blasphemantes enim in Filium hominis quodammodo excusabantur ob carnis infirmitatem quam aspiciebant, dum blasphemantes in ipsum Deum, cuius opera nitebant meridiana luce, excusationem habebant prorsus nullam.

167 C. VI.—Anatolius peccavit ex habitu voluntarie contracto et scienter non retractato; teneturne sponte in confessione hoc dicere, se saltem accusare de peccato in Spiritum Sanctum?

Sol.—Negative ad utrumque. Non enim agitur peccatum speciale, cum in omni peccatorum genere valeat habitus generari ducens in actum similem; habitus igitur est condicio et circumstantia aggravans cuiuslibet peccati; non est propterea de necessitate declarandus (i, 140), nisi confessario Interroganti ¹. Nec ideo agitur peccatum in Spiritum Sanctum, quod ipsis verbis Christi a ceteris secernitur (164).

168 C. VII.—Valde anxietur Eulalia, sanctimonialis religiosissima, quod, non obstante eius sollicitudine de vl-

¹ Fuit damnata ab Innoc. XI propositio: «Non tenemur confessario Interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem» (Denz. 1208)

tandis peccatis, possit in fine vitae hoc uno delinquere peccato contra Spiritum Sanctum.

Sol.—Absolute quidem loquendo, est homini tanta arbitrii libertas ut, praecipue sub tentatione valida, possit peccare per contemptum in Spiritum Sanctum, nullis aliis peccatis praecedentibus. Attamen, quem ad modum in bonum, sic et in malum pedetentim atque gradatim homo communiter procedit: nemo fit etenim repente summus. Ex peccatis ergo quae habent excusationem aliquam solet homo procedere ad peccata quae excusationem important nullam; et «ideo in viris perfectis hoc vix vel numquam accidere potest quod statim a principio peccent in Spiritum Sanctum»¹. Deponat igitur sanctimonialis nostra illam suam anxietatem.

¹ S. Thomas, *l. c.*, 14, 4.

DE SPE

I. SPEI NECESSITAS

Doctrina.

Spes theologica, de qua sermo est virtus supernaturalis—et ideo infusa—nos inclinans et erigens ad obtinendam auxilio Dei aeternam beatitudinem et media conducentia. Eius igitur obiectum *formale quo* venit divina omnipotentia, qua Deus scilicet potens est nobis ferre adiutorium in quantacumque necessitate positus, sed omnipotentia determinata per voluntatem ad adiutorium huiusmodi impendendum, seu praebens, aut saltem offerens, ad victoriam difficultatum validum subsidium; quapropter a Thomistis *Omnipotentia auxilians* nuncupatur.* Obiectum eius *formale quod* est beatitudo aeterna: cum etenim ordo agentium respondeat ordini finium, ubi nitamur infinitae virtuti et bonitati Dei, id oportet imprimis speremus quod sit tanta

1 Hoc auxilium divinum non est idem putandum cum gratia aliisque adiutoris homini *inhaerentibus*, quibus hic ad aeternam beatitudinem usque perducitur: quoniam haec adiutoria illaque gratia existunt quid creatum, causa praeterea efficiens consecutionis, potius quam causa formalis sperandi.

virtute et bonitate dignum, infinitum bonum, scilicet¹. Obiectum denique *materiale* spei sunt alia oona, spiritualia et temporalia², ad beatitudinem aeternam conducentia; quae, utpote media ad finem, sicut a fine mensurantur, ex fine quoque dignificantur.

170 Spei igitur subiectum *quo*, proculdubio voluntas, cum agatur de inclinatione et motu ad bonum suprasensibile. Subiectum vero *quod* non est beatus—cui beatitudo non est amplius futura seu obtinenda—, neque damnatus—cui beatitudo est, re atque aestimatione, impossibilis obtentu—, sed viator³ qui ipsam semel acceptam, non amisit peccato gravi positivae sive praesumptionis, sive desperationis, sive infidelitatis (45 s, 213).

171 Spei virtus est cuilibet necessaria ad salutem necessitate *medii*: nemo namque salvatur nisi ornatus sane-

¹ «Bonum quod proprie et principaliter a Deo sperare debemus est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuvantis; nam infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita aeterna, quae in fruitione ipsius Dei consistit: non enim minus aliquid ab eo sperandum est quam sit ipse, cum non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturae communicat, quam eius essentia. Et ideo proprium et principale obiectum spei est beatitudo aeterna» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 17, 2).

- «Ad bonam unius hominis vitam duo requiruntur. Unum principale, quod est operatio secundum virtutem (virtus enim est qua bene vivitur); aliud vero secundarium et quasi instrumentale, scilicet corporaliū bonorum sufficientia, quorum usus est necessarius ad actum virtutis (S. Thomas, op. *De regimine principum* seu *De regno*, I, 16; ed. Splazzi, n. 325).—«Moderatas divitias possidentes possunt agere quae oportet; a quibus impediuntur tam illi qui superabundant in divitiis propter nimiam sollicitudinem vel propter elationem; quam etiam illi qui in talibus deficiunt, quos oportet sollicitari circa victum quaerendum» (Id. in *10 Ethic.*, lect. 13; ed. Plotta, n. 2130).

³ Etiam animae purgatorii retinent spem, ipsis cum beatitudo aeterna maneat futura et ardua—gravissimis poenis attingenda—divinoque auxilio possibilis; ideo inter viatores computantur. Habent autem, quae nos, ut in pluribus, caremus, securitatem suae salutis: damnavit etenim Leo X hanc Lutheri sententiam; «Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes» (Denz. 178).

tificante gratia, gratia autem sanctificans habet comites virtutes theologicas et morales infusas; hinc Tridentina synodus: «Fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit» (Denz. 800).

Spei actus est adultis necessarius necessitate *medii* et *praecepti*. Medii quidem, quoniam eis tendendum est in beatitudinem; indigent quoque spe sive iusti ut orent pro habendo auxilio gratiae et obtinenda perseverantia, sive peccatores ut ad iustificationem se disponant (Denz. 798). Praecepti insuper, nam Alexander VII hanc damnavit propositionem: «Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium» (Denz. 1101).

Praeceptum huiusmodi urget:

172

Per se: a) initio usus rationis, seu cum prime beatitudo aeterna, sufficienter proposita, innotescit, quoniam tunc debet homo hunc finem praestituere vitae suae: b) post amissionem habitus spei per positivam et gravem infidelitatem, desperationem vel praesumptionem; c) saepius in vita, de frequentia quantumvis necessaria disputent Auctores, nam alii determinant semel in anno, alii singulis mensibus vel etiam hebdomadibus; d) in casu tentationis contra spem, actu spei vincendae; et e) in mortis articulo, communius, ob graviores quae tentationes instant et terrorem imminentis iudicii;

per accidens: quoties praecepta aliarum virtutum adimpleri aut tentationes his contrariae superari nequeunt absque actu spei—cuius propterea omissio est peccatum dumtaxat unum cum peccato contra virtutes illas (2).

Casus primus.

173 Silvester, neo-confessarius, valde turbatus est audiens nonnullos paenitentes se accusare, quasi de peccato contra spem, de desiderio perennandi terrenam vitam. Putabat etenim studium huiusmodi illis peccatoribus obduratis proprium qui finem ultimum sibi praefixerunt vel voluptates vel divitias, valedicentes ideo sacramentis et exercitiis religionis. At paenitentes, quorum accusatione commovetur, aeternam suam salutem non prorsus neglegunt, quidam immo inveniuntur pietati valde dediti.

Solutio

174 Lehmkuhl opportune: «Illud desiderium, nisi homo insanire velit, concipi potest tantummodo per modum alicuius velleitatis; siquidem versatur circa rem, quae ab omnibus sanae mentis hominibus concipitur ut impossibilis. Quae velleitas potest: 1. manifestatio esse mag-
nae inclinationis naturalis erga bona huius mundi, ita tamen, ut homo nihilominus ad futuram vitam adspiret eamque voluntate vera praeferat' 2. potest, eadem futurae vitae prosecutione manente, velleitas illa esse fuga et timor incertitudinis, qualis vita in aeternum ducenda sit, beata scilicet aut infelix, ita ut velleitas sit potius non moriendi, quam periculum damnationis subeundi: 3. illa velleitas perpetuo hic vivendi potest consistere in eo quod praefertur voluptas praesentis vitae bonis aeternis atque possessioni Dei. Solus hic tertius modus ex se peccatum mortale est, idque contra spem atque eam destruens» 1.

1 Lehmkuhl, *Th. Mor.*, I, 439, ed. 1910.

lure quidem huiusmodi peccatum Silvester adscribe- 175
bat luxuriae atque avaritiae plane deditis. De luxuriosis
D. Thomas: «Finis luxuriae est delectatio venereorum,
quae est maxima. Unde huiusmodi delectatio est maxi-
me appetibilis secundum appetitum sensitivum: tum
propter vehementiam delectationis; tum etiam propter
connaturalitatem huius concupiscentiae»¹; quoniam
autem voluptate non sperat perfrui in alia vita, et de-
tentus carnalibus delectationibus non curat de spiritua-
libus sed fastidit eas, luxuriosus habet affectum prae-
sentis saeculi et horrorem atque desperationem futu-
ri². De avaris quoque: «Quanto aliquid magis participat
condiciones felicitatis, tanto magis est appetibile. Est
autem una de condicionibus felicitatis ut sit per se suf-
ficiens; alioquin non quietaret appetitum tamquam ul-
timus finis. Sed per se sufficientiam maxime repromit-
tunt divitiae, ut Boetius dicit, in III *de Consol.* Cuius
ratio est, quia, sicut Philosophus dicit, in V *Ethic.*, de-
nario utimur quasi fideiussore ad omnia habenda: et
Eccle. X dicitur quod pecuniae oboediunt omnia»

At cum agitur de paenitentibus non prorsus salutis 176
incuriosis, Silvester scrutetur num perpetuo vivendi
desiderium sit dumtaxat manifestatio magnae inclina-
tionis naturalis erga bona huius mundi, aut sit affectio
nimia ad haec bona terrena. Si primum, quoniam na-
turalis vertitur inclinatio, ipsam, quantumcumque peri-
culosam, peccaminosam ne pronuntiet. Si vero alterum,
nimiam hanc affectionem damnet equidem de peccato,

¹ S. Thomas, *l. c.*, 153. 4.

² Id., *ib.*, art. 5.—D. Thomas citat (ad 2m) verbum Vegetii: «Minus mortem metuit qui minus deliciarum norit in vita».

¹ Id., *ib.*, q. 118. a. 7.—«Omnia corporalia oboediunt pecuniae, quan-
tum ad multitudinem stultorum, qui sola corporalia bona cognoscunt,
quae pecunia acquiri possunt» (Id., *ib.*, I-II, 2, 1, ad 1m).

forsan et de mortali l, non tamen de peccato contra spem, quandiu paenitens pergat ad vitam futuram aspirare eamque voluntate vera praeferre bonis praesentis vitae.

Denique, cum desiderium hanc vitam perennandi produnt paenitentes pietati valde dediti, praesumptio stat pro timore finalis iudicii atque sententiae—comparantes felicitatem praesentem eamque certam cum futura et incerta sorte, malunt non mori ne exponantur damnationis periculo. Quo in casu confessarius. potius quam affligere severitate has timoratas animas, ipsas consoletur et instanter erigat ad fiduciam.

A l i i c a s u s .

177 C. II.—Cum interrogaret paenitentem an haberet spem assequendi aeternam beatitudinem, hanc obtinuit Maternus responsionem: Certo certius, S. Antonium enim Patavianum nactus sum patronum qui non sinet devotos eius tradi inferni cruciatibus. Maternus dubitat num liceat collocare in sanctis spem aeternae beatitudinis.

Sol.—Quoniam haec beatitudo bonum existit supernaturale, nefas est aestimare creaturam, tametsi excellentissimam. causam principalem inducentem; unde et legimus: «Gratiam et gloriam dabit Dominus» (Ps. 83, 12) Placuit attamen Deo uti causis secundis intercessione puta sanctorum, in negotio salutis nostrae; qui-

l «Si intantum amor divitiarum crescat quod praeferatur caritati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei et proximi, sic avaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris infra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen praefert earum amorem amanti divino, ut scilicet propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia est peccatum veniale» (Id., *ib.*, II-II, 118, 4).

bus propterea fas est inniti tamquam agentibus instrumentalibus subordinates principali agenti.

C. III.—Exquisitus a confessario quare speret sibi beatitudinem, sic fidenter Meletius: Quoniam, etsi hucusque nihil boni egi, intendo plura agere opera meritoria Miratur confessarius de spe quae nititur propriis meritis, iisque nondum habitis. 178

Sol.—Non est cur miretur confessarius si Meletius innitatur meritis propriis; placuit etenim Deo consulere dignitati causarum secundarum; hinc, prout possumus sperare in patrocínio iustorum (177), possumus sperare in nobis ipsis, iustis. Unde conc. Tridentinum definitivit: «Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo...: A. S.» (Denz. 836; cf. ib. 809). Nec obest si Meletius, in casu, hucusque careat meritis, nam dicit D. Thomas: «Merita non praecedunt ex necessitate spem nec actu nec habitu; sed praecedunt rem speratam, scilicet beatitudinem: unde potest esse quod sperans non habeat merita nec actu nec habitu, sed solum in proposito»

C. IV.—Inter sacerdotes colloquentes de spei obiecto materiali nonnullam attulit commotionem obiectio a Domitiano facta contra communem usum et doctrinam pro bonis temporalibus Adduxit enim verbum D. Thomae: «Homini qui anhelat ad aliquid magnum, parvum videtur omne aliud quod est eo minus. Et ideo homini speranti beatitudinem aeternam... nihil aliud est arduum»¹ Porro, arguebat, spei obiectum necessario est arduum; igitur temporalia bona, utpote parva, extra spei obiectum vagantur. 179

¹ S. Thomas, *Q. D. de spe*, a. 1, 3m.

² S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 17, 2, 3m.

Sol—Imprimis, id licet sperare a Deo pro quo licet Deum orare; quapropter S. Augustinus: «Ea ad spem pertinent, quae in oratione dominica continentur»¹; at in oratione dominica iubemur petere «panem nostrum quotidianum»; ergo bona quoque temporalia ingrediuntur spei obiectum materiale. Difficultatem ex D. Thoma iam ipse enucleaverat Angelicus: «Homini speranti beatitudinem aeternam, habito respectu ad istam spem, nihil aliud est arduum. Sed habito respectu ad facultatem sperantis, possunt etiam quaedam alia ei esse ardua. Et secundum hoc eorum potest esse spes in ordine ad principale obiectum»².

180 c. V.—Nonnullos habet Cyrillus paenitentes qui se saepius accusant de omisso actu spei. Ille dubitat num omiserint actum praeceptum.

Sol — «Pro praxi nulla est difficultas, cum non necessario requiratur spes formalis sed sufficiat virtualis. et quilibet Christianus religiose vivens et orans in qualibet pia oratione deprecatoria huic praecepto sufficienter satisfaciatur eliciendo actum spei virtualis»³. Non enim peteret nisi speraret obtinere (7).

181 c. VI.—In quodam coetu sacerdotum, occasione verbi Tridentini: «De perseverantiae munere., nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur» (Denz. 806), sermo incidit de *magna*, ut dicitur, *promissione* facta S. Margaritae Mariae Alacoque* et vi cuius plures e

¹ S. Augustinus, *Enchiridion*, c. 114; PL., 40. 285.

² S. Thomas, *l. c.*

³ Prümmer, *Th. Mor.*, I. 545. cd. 1931.

⁴ «Un jour de vendredi, pendant la sainte communion, il dit ces paroles à son indigne esclave, si elle ne se trompe: Je te promets, dans l'excessive miséricorde de mon Coeur, que son amour tout-puissant accordera à tous ceux qui communieront les neuf premiers vendredis du mois tout de suite la grâce finale de la pénitence: ils ne mourront point en

fidelibus, post peractam communionem novendialem, se certos profitentur de aeterna beatitudine consequenda. Nonnulli quidem ex adstantibus negabant revelationis authenticitatem; alii putabant aut nihil ibi a Domino promitti sed solum indicari praxim esse perutilem ad salutem, aut quod ibi promittitur non specialiter praxi communionis novendialis adnecti sed generaliter praxi recipiendi Eucharistiam, aut promissionem esse condicionatam vitae Christianae. Quid dicendum?

Sol.—De authenticitate revelationis non est propter 182
textum Tridentini dubitandum; neque de eius sensu, satis obvio. At promissio non ita intellegenda est quasi sufficeret novendialis illa communio quomodocumque fiat, etiamsi sacrilege—ideoque ac si communionem recipiens possit simul intendere post peractam praxim liberius concedere peccato—; debet propterea intellegi dummodo fiat sincere et intentione recta. Quo certe in casu, praxis ista non condicionatur vitae Christianae; nihil etenim, saltem novi, foret promissionis obiectum (cf. Mt. 19, 17). Datur ergo illam praxim colentibus quaedam neque spernenda assecuratio; sicut data fuit pluribus religiosis si perseverent in Instituto, aut in habitu vel scapulari deferendo. Attamen, prout societates assecurationis in humanis futuram alicuius sortem oeconomicam non reddunt certam in quolibet eventu—nam si quis ignem apponat ex industria, deficiat in morali communi diligentia, etc., non amplius recipit domus assecuratae pretium—, ita nec illi qui peccarent malitia, confisi promissione, abicere deberent de futura paenitentia formidinem et curam. Hinc nulla repugnantia *?nagnae promissionis* atque verborum Tridentini. etiam

sa disgrâce ni sans recevoir leurs sacrements, mon divin Coeur se rendant leur asile assuré en ce dernier moment» (Lettre à la M. de Saumafse, cit. a Baivel, art. *Coeur Sacré de Jesus, Dévotion au,* in *Diet, de Thcol. Cath.,* III, c. 331).

qui peregerunt communionem illam novendialem recta intentione aliisque condicionibus requisitis, non possunt sibi de perseverantiae munere aliquid certi polliceri absoluta et infallibili certitudine (Denz. 826).

II. SPEI HONESTAS

Doctrina.

183 Quamvis non sit (ut quidam voluerunt) idem cum amore concupiscentiae, spes tamen importat concupiscentiae amorem: spe namque disponimur ut exeamus quidem extra nos—quippe qui non nisi in Deo et a Deo possumus beatitudinem attingere—, ita tamen ut per divinum auxilium Deo ditati revertamur postea ad nos ipsos. Hinc quaestio de honestate, prout communiter dicitur, spei est potius de honestate illius amoris concupiscentiae in Deum, seu amoris intéressât! qui spe maxime proditur.

Hunc amorem concupiscentiae lansenistae asserebant inhonestum esse nec honestari posse nisi vertatur caritate in amorem benevolentiae sive purum. Quietistae (Molinos) affirmabant hunc amorem interessatum non quidem esse malum, sed esse cum amore caritatis seu puro impossibilem. Semiquietistae contendebant dari quendam statum amoris puri in quo ille amor concupiscentiae nullas obtinet partes. Amorem ergo concupiscentiae castae—prout communiter ipsum dicunt theologi—lansenistae pronuntiarunt pravum omnibus; Quietistae, indignum perfectorum; Semiquietistae.. cuidam perfectionis statui alienum prorsus.

184 Contra lansenistas stant imprimis textus S. Scripturae. De quibus Billot: «Ex parte Scripturae ratio dubi-

tandi non est. Nihil enim magis decretorium quam auctoritates quibus provocamur ad operandum intuitu retributionis aeternae, ac per hoc, ad concupiscendum retributionem illam quae est Deus ipse summum bonum nostrum, beatitudo nostra, et merces nostra magna nimis»¹. Stat insuper definitio Tridentini: «Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur: A. S.» (Denz. 841), et S. Officii condemnatio Iansenistarum propositionum (cf. Denz. 1297, 1300, 1303). Stat, denique, ratio multiplex. Si bonus et honestus quidem est actus quo tendimus in obiectum bonum. Deum scilicet, honestus atque bonus amor ille dicendus est quo Deum amamus prout Ipse bonus et amabilis est; est autem non solummodo bonus Sibi—amabilis in Se—, verum et bonum nostrum—seu amabilis qua beatificans nos—. Nec caritati sic ille amor concupiscentiae opponitur ut excludat ipsam, nam cum Deus sit bonus in Se atque bonus nobis, ob utramque hanc bonitatem amari poterit, et ideo utroque amore; non enim negamus Ipsum esse amabilem in Se dum Ipsum amamus quatenus bonum nostrum, sed ab illa consideratione pro tunc abstrahimus—abstrahentium non est mendacium, prout dicitur in Logica—. Immo, quoniam novimus beatitudinem esse adeptu impossibilem absque caritatis meritoriiis actibus, spes, nedum sit inimica caritatis, ad caritatem introducit; praeter quod concupiscentes nobis beatitudinem quam solus Deus largitur, usque ad Dei procedimus dilectionem.

Quietistis adversatur imprimis clarum Apostolorum 185 exemplum; hi etenim «qui primitias Spiritus acceperunt, id est et tempore prius et ceteris abundantius»², ore

¹ Billot, *De virtut. infusis*, th. 27, p. 335. ed. 1921.

« S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 106. 4.

S. Pauli proclamant: «Nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri (Rom. 8. 23). Adversatur quoque censura quam Ecclesia tulit contra errores Michaelis de Molinos (cf. Denz. 1227, 1232, 1251). Ratio accedit: amor enim concupiscentiae valet duplex, in hac materia, intellegi: a) quo Deus ametur propter nos, sic nempe ut nosipsos constituamus finem Dei amati; et b) quo Deus ametur propter nos, ita videlicet ut nos simus non nisi subiectum cui amamus Deum. Et primus quidem amor est omnino concupiscentiae pravae, cum dicat inversionem valorum, subordinans. quasi formam materiae, perfectissimum imperfecto. Sed alter amor—unus amor concupiscentiae castae—deordinationem importat nullam: naturaliter enim, sicut materia formam, quaelibet res suam perfectionem appetit, et ideo licite potest homo, una simul cum caritate, amare et concupiscere sibi Deum, quo dumtaxat satiari potest.

- 186 Semiquietismus Fenelonii fuit etiam damnatus ab Ecclesia (Denz. 1327 ss.). Nam status, proprie loquendo, significat quandam positionis differentiam secundum quam aliquis disponitur ad modum suae naturae cum quadam immobilitate, id est non ex aliqua causa levi vel facile mutabili sed ex aliquo permanente * Porro, quamvis dilectio Dei purissima, formaliter et exclusive propter Se. actus sit omnium perfectissimus et possibilis per modum actus, ex ipsamet nobis innata imperfectione non valet esse permanens. Verbo Angelici: «Mens humana, propter infirmitatem naturae, diu in alto stare non potest: pondere enim infirmitatis humanae depri-

1 3. Thomas, *l. c.*, II-II, 183, 1.

mitur anima ad inferiora»¹; et universaliter: «Nulla actio potest diu durare in sui summo»².

Casus primus.

Luventius se in confessione solet accusare quod Deum 187 propter retributionem diligat. Confessarius quidem non semel ei aperuit doctrinam Ecclesiae et theologorum de intéressât! illius amoris honestate. At luventius, theologiarum rerum non ignarus, confessarii sententiae non acquiescit, quoniam ordinare, dicit, summum bonum, Deum, ad nos. minora bona, est evidenter quaedam inordinatio. Affert quinimmo exemplum: Qui divitias sibi concupiscit, has diligit appreciative minus se; ergo dum amore concupiscentiae quis amat Deum, se prae Deo appreciative diligit.

Quid dicendum?

Solutio

Distinguamus oportet inter ordinationem melioris ad 188 minus bonum uti ad subiectum seu finem *cui* et uti ad finem *cuius gratia*. Prout enim D. Thomas loquitur: «Aliquid potest esse propter aliud dupliciter. Aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem; et sic inconueniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se, ut iuna et stellae propter noctuas et vespertiliones cum finis potior sit his quae sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas; eo modo quo posset rex dici propter rusticum, ex cuius regimine provenit ei

¹ S. Thomas, *l. c.*, q. 83, a. 13, 2m.

² Id. *l. c.*, q. 180, a. 8, 2m.

pax: et per hunc modum est intellegendum quod in *Littera* dicitur (scilicet lunam et sidera ideo esse facta ut lucerent propter talia animalia); omnes enim utilitates quae ex corporibus caelestibus proveniunt in inferioribus, sunt a Deo provisae, qui corpora illa instituit> Sic et Verbum propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis; sic et Christus sua merita in nostrum emolumentum retulit; sic sacerdos missam celebrat ad obtinendam aegroti sanitatem, et nosipsi, dum creatum aliquod, naturale aut supernaturale, petimus a Deo, potentiam Dei ordinamus ad aliquid inferius. Verum hic finis *cui* non necessario opponitur fini ultimo *cuius gratia*, cum de se sit in hunc postremum finem referibilis atque formaliter referri caritate debeat a.

» S. Thomas, *in 2 Sent.*, d. 15, q. 1, a. 1, 6m.

: «Eadem ratio est de dono seu dato alteri, et de concupito: actus enim exterior signum et effectus est actus interioris; quod enim alteri datur, illi proculdubio concupiscitur. Sed constat datum alteri, ut sic, non ordinari in illum cui datum est ut finem. Ergo concupitum, ut sic, non ordinatur ad eum cui concupiscitur ut finem. Manifestatur minor ex auctoritate Scripturae tradentis quod Deus dedit Filium suum nobis, ita quod in hoc commendatur caritatis divinae excellentia quod non solum dedit nobis redemptionem, doctrinam et alios effectus quos Filius Dei fecit, sed dedit nobis ipsum Filium... Et fundatur hoc, quia quot modis contingit aliquid esse bonum alicuius amati, tot modis contingit esse concupitum illi: alioquin non posset quis velle alicui omnia bona sua. Sed contingit aliquid esse bonum alterius non solum propter ipsum, sed e converso ut finem ipsius. Ergo contingit aliquid esse concupitum alicui quod non ordinatur ad illud ut finem, sed e converso. Possum enim concupiscere amico mihi, vel amico meo, finem ultimum, propter quem sumus, absque derogatione finis illius: quae interveniret si ipse finis ordinaretur in me vel amicum ut in finem. Aliud est ergo concupiscere hoc mihi: et aliud concupiscere hoc propter me. Cum his tamen tene quod omne concupitum secundum aliquid est propter eum cui concupiscitur: quia oportet salvare in omni concupito amorem amicitiae, quo magis amatur is cui concupiscitur quam concupitum. Unde si concupita res sit simpliciter ordinabilis in eum concupiscibiliter ut finem, concupitum simpliciter habet rationem eius quod est esse propter amicum. Si autem non sit simpliciter ordinabilis in eum ut finem, tum concupitum secundum quid tantum, scilicet secundum aliquem effec-

Exemplum ideo quod Iuuentius affert de amore divitiarum non est ad propositum. Nam dum divitias nobis concupiscimus, tota ratio cur amamus illas est quia sunt bona nobis, sic videlicet quod omnis alia bonitatis ratio excludatur. Dum autem concupiscimus nobis Deum, abstrahimus quidem ab alia bonitate, hanc tamen non excludimus; porro abstrahentes, comparisonem cum instituant nullam, nequeunt dici appetiari unum prae altero. 189

Alii casus.

C. II.—Catharina, sanctimonialis et noviciarum instructioni praeposita, has omnes urget ut caveant a diligendo Deo propter spem retributionis sibi in caelis paratae; alias, asserit, Deum amarent amore mercenario et ideo amore caritati opposito. 190

Sol.—Amor Dei mercenarius, si proprie loquimur, est ille quo quis servit Deo ob unam mercedem temporalem, sive creatam; in casu autem appetitur merces aeterna. Catharina igitur loquitur de amore mercenario sensu improprio, cuius ideo contrarietas ad caritatem demonstranda esset. Hinc ad objectionem: «Ioa. 10, mercenarius vituperatur; sed mercenarius dicitur qui mercedem quaerit», respondet D. Thomas: «Mercenarius ibi dicitur qui opus spirituale propter mercedem temporalem exercet»¹. Et ad quaestionem; Num possint etiam boni pastores quaerere mercedem. dixit: «Merces potest accipi dupliciter: scilicet communiter et proprie Com-

tum eius, habet rationem eius quod est esse propter alterum, sed amatum alteri; et consequenter non significans bonum propter alterum, sed bonum alterius, cui scilicet concupiscitur, quod amicitia amatur: ad utrumque. scilicet ordinabile simpliciter et non ordinabile simpliciter, se extendit; et per consequens oportet ut abstrahat ab utroque» (Caietanus, in II-U, 17, 5, n. 6).

¹ S. Thomas, in 3 Sent., d. 29, a. 4, Im.

munitur quidem, omne quod meritis redditur dicitur merces: et quia vita aeterna quae est Deus... meritis redditur, ideo ipsa vita aeterna merces dicitur. Et hanc mercedem potest et debet quaerere quilibet bonus pastor. Proprie autem dicitur merces aliquid segregatum ab hereditate; et ad hanc non debet habere respectum ille qui est verus filius, ad quem spectat hereditas; sed ad eam respectum habent servi et mercenarii. Unde, cum vita aeterna sit hereditas nostra, qui operatur habens ad eam respectum, operatur ut filius» x.

- 191 C. III.—Grimoaldus, sacerdos, quantumvis corde abhorreat lansenismum, nequit tamen omnem animi abicere anxietatem; quoniam saltem, inquit, in hoc concupiscentiae amore Dei homo non amat Deum plus quam seipsum.

Sol.—Subiectum cui bonum volumus amatur benevolentiae amore, qui comparari nequit cum amore concupiscentiae quo amamus obiectum. sive bonum quod volumus subiecto; porro non nisi facta comparatione loqui possumus de maiori et minori amore. Si autem Deus concupitus comparetur ad cetera concupiscibilia, indubium est Deum amore concupiscentiae amari prae his quibuscumque omnibus: est enim summum bonum quod appetimus.

- 192 C. IV.—Imbutus philosophia kantiana. Willibrordus, licet non deneget honestatem amoris concupiscentiae in Deum, contendit insistendum in amore benevolentiae seu desinteressato; hinc clamat: Etsi bonum sit agere propter praemium, foret attamen melius agere propter unum officium.

Sol.—Iam Philosophus animadvertit² quod, licet phi-

¹ S. Thomas, in *10a.*, 10, lect. 3.

» Aristoteles, *Top.*, 3, 2, n. 21.

philosophari melius sit quam ditari, indigenti melius est ditari quam philosophari; aliis verbis, quaedam meliora sunt in se, quin ideo meliora sint quoad nos. Deus impossibilia non iubet; ut quae iubet possibilia fiant, morem gerit condicioni humanae. Est autem haec condicio, teste experientia, ut ex amore nostri veluti per gradus procedamus ad alios diligendos. Est pariter condicio humana, iterum experientia teste, ut intuitu retributionis acceptemus officium eique assidue vacemus; ex hac autem assiduitate ipsi postmodum et propter se adhaeremus. Propter officium operamur quidem caritate, qua diligimus Deum prouti bonum in Se. Propter officium pariter operamus opera ceterarum virtutum cum, virtutem semel adepti, operamur prompte et delectabiliter ob cuiusque virtutis bonum. Non nisi spe operamur mercedis intuitu; quae ideo, uti diximus (184), introducit caritatem et manuducit ad vitam virtuosam. Quae insuper illam et hanc tuetur, iis nempe in adiunctis in quibus homo non experitur harum omnium virtutum ordinariam vim seu efficaciam l.

C. V.—Cyriacus. in lectione librorum asceticae quin 193 et mysticae assidus, fatetur se corde non conspicere curdamnati fuerint Quietistae. Nam adveniente, inquit, quod perfectum est, imperfectum necessario evacuatur;

l Cum nubentes promittunt sibi mutuo vitam conjunctissimam et amicissimam usque ad mortem, id est in abundantia et in angustiis, in valetudine prospera et adversa, nemini adstantium dubium est de cuiusque sinceritate: dum amor mutuus fervet, haec omnia sunt dictu atque opinatu levia. Sed adstantes norunt fervorem esse labilem. Praevident domesticas dissonantias et dissensiones, altercationes et offensas; externas quoque et tentationes et insidias. Quae cum eventu comprobantur fidelitatem discrimini committunt. Et tunc quidem, si habentium ante oculos compensationem temporalem vel mercedem aeternam tot coniuges ab invicem discedunt, quodnam coniugium perennabitur ubi spes retributionis nulla effulgeat?

ergo cum amore perfecto caritatis non simul manet imperfectus amor concupiscentiae seu spei.

Sol.—Perfectio quidem adveniens tollit, manifesto, imperfectionem sibi oppositam; sed imperfectio quae est amori spei non opponitur perfectioni quae competit amori caritati Iam D. Thomas monuit: «Nihil prohibet simul aliquid cognoscere per diversa media, sicut simul potest aliquid cognosci per medium probabile, et demonstrativum» 1. Nihil ergo nos prohibet simul amare Deum ex diverso motivo; ideoque quoniam bonus in Se atque simul quoniam bonus nobis.

194 C. V.—Cyriacus instat: Perfecta caritas mittit foras timorem (I loa., 4, 18); ergo excludit pariter mercedis intuitum.

Sol.—Hanc quoque difficultatem D. Thomas solvit: «Bonum de quo est spes, magis est consonum amori quam malum de quo est timor. Et ideo quamvis perfecta caritas foras mittat timorem poenae, non tamen oportet quod foras mittat intu'tum mercedis» 2. Hinc, dum timor servilis decrescit crescente caritate (199), spes, contra, perficitur caritate perfecta 3.

1 S. Thomas, *Summa Theol.* I, 62. 7, 1m.

1 Id., in 3 *Sent.*, d. 29. a. 4. 5m.

3 «Per hoc quod aliquis reputat per aliquem se posse consequi aliquo bonum, incipit amare ipsum: et ex hoc ipso quod ipsum amat, postea tertius de eo sperat» (Id., *Summa Theol.*, I-II. 62, 4 3m). «Adveniente caritate, spes perfectior redditur; quia de amicis maxime speramus» (Id., *ib.*, II-II. 17, 8).

III. TIMOR DEI

Doctrina.

Cum timor sit mali et Deus sit summum bonum, Deus 195
nequit timeri per se loquendo. Potest autem per acci-
dens, quoniam est bonum quod non compatitur secum
quaedam alia bona, permittere potest nos incidere in
culpam atque minatur poenam peccatoribus iustus
iudex.

Quoniam timor nos movet ad operandum ea per quae
refugimus malum quod timemus, contingit ex timore
quosdam a Deo recedere, timentes boni amissionem quo
privat Deus, amissionem utputa voluptatis luxuriae;
quosdam autem ad Deum accedere et inhaerere Ei ti-
mentes sive malum poenae quam Deus minatur sive
malum culpae quo privamur Deo Ibi habemus timorem
mundanum vel *humanum*, si temitur amissio tempora-
lium vel contemptus hominum; hic autem timorem vel
servilem, si timetur poena, vel *filialern* seu *castum*, si
timetur culpa x.

Timor mundanus vel humanus dicit peccatum grave. 196
Prohibetur enim in sacris Litteris, v. gr.: «Nolite timere
eos qui occidunt corpus» (Mt. 10. 28) et facit hominem a
Deo recedere ne amittat temporalia in quibus finem
collocat.

Timor filialis est manifesto bonus: timere namque
culpam seu Dei offensam pertinet vel ad donum Spiritus
Sancti vel ad caritatis saltem virtutem—eos enim quos

1 A timore filiali non differt quoad substantiam timor qui *initialis*
nuncupatur, utpote initium seu inchoatio casti seu filialis timoris: habet
enim ex caritate, tamquam ex radice, quod sit culpae ut mali princi-
palis; etsi caritate nondum perfecta poenam quoque respiciat obtec-
tum secundarium.

amamus refugimus amittere et offendere—. Manet ergo cum caritate, et ita profecto ut crescente caritate et ipse crescat: quando plus etenim quem diligimus, tanto magis timemus ipsi iniuriam facere vel separari ab eo l.

197 Quaestio igitur tota de moralitate timoris servilis, qui movet nempe ad vitandam culpam ex horrore poenae divinitus constitutae peccato.

Sed horror poenae huiusmodi valet ad culpam vitandam dupliciter movere, instar occasionis et instar causae.

Nulla profecto controversia de timoris servilis moralitate ubi timor poenae veniat tantum occasio: quoniam timere malum culpae quia malum culpae, occasione licet adiunctae poenae timeatur amplius². nihil indecentiae nominat—sicut amare Deum quia bonus in Se, occasione etsi beneficiorum quae dispensat nobis magis ametur, nullatenus est dignum vituperio (184).

198 Disputatio tota ad timorem servilem coangustatur in quo poena intercedit causa cur quis refugit culpam.

At horror seu odium poenae dici potest causa bifaria, quoniam poena scilicet habetur ut malum principale—ideo quod bonum quo ipsa privat amatur tamquam finis—, et quoniam poena habetur uti malum aliquod—propterea quod bonum quo ipsa privat amatur uti bo-

l Timor inuiti s sic manet cum caritate ut perfecta caritate hic evanescat, sicut adveniente virilitate non manet infantia.

l («Advertendum tamen, ne quis confundat motivum paenitentiae cum occasione qua ad paenitentiam excitatur: etenim multi, morbo, aliove temporali malo vexati, perpetrata crimina mente revolvunt, et Dei gratia auxiliante, illa ex motivo superno serio detestantur; sicut accidit Ninivitis, qui timore mortis temporalis, ac subversionis urbis, qufm lonas praenuntiabat commoti, per veram, sinceram, et supernaturalem contritionem ad Deum conversi sunt» (Benedictus XIV, *De synodo*, lib. 7, c. 13. n. 3; Opera, XI, p. 22G. ed. 1844).

num—. Ille timor servilis vocatur serviliter servilis; hic, servilis (simpliciter).

Porro timorem serviliter servilem esse graviter malum constat facile: habet enim deordinationem duplicem, qua quis videlicet anteponit malum poenae malo ipsi culpae—minus malum potiori—, et qua quis vel tunc cum abstinet a culpa servat ad hanc affectum—sicut latro furari vult etiam cum ob custodis advigilantiam abstinet a furto

Timor, e contra, simpliciter servilis est, secundum ⁱ⁰⁰ suam substantiam, bonus moraliter. Praeter auctoritatem siquidem Scripturae: «Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam Ita dico vobis, hunc timete» (Lc. 12, 5), habemus definitionem Tridentini: «Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores peiores facere: A. S.» (Denz. 318: cf. *ib.*, 898, 915, 1411-1414). De reliquo iste timor servilis nihil dicit praeter timorem poenae ut alicuius mali; porro timere poenam seu refugere verum malum liquido bonum est, cum naturali instinctui tum quoque rationi rectae consonum.

Hinc quod manere possit cum caritate, prout timor poenae ut alicuius mali est compossibilis cum timore culpae uti summi mali. Attamen, crescente caritate, decrescit amor sui, ex quo poena timetur, simul atque augetur fiducia de evadenda poena comminata divinitus—nam etiam inter homines is qui fortiter amat, totus in amatum fertur sui oblitus, nullumque timet aut suspicatur damnum ab amato sibi futurum.

Habens pro obiecto malum comminatum a Deo et a ²⁰⁰ Deo iusto iudice paratum, timor hic servilis est fidei

effectus et disponit ad iustificationem¹; est igitur supernatural (cf. Denz. 1304 s.). Nec tamen inter dona Spiritus Sancti computatur, cum inveniatur vel penes peccatores, qui caritate carent; sed neque inter virtutes, fugit enim malum quia triste, non quoniam turpe.

Casus primus.

201 In quodam conventu sacerdotum praedicationi verbi addictorum, subtiliter de aptiori ratione disputatur ad opem animabus ferendam qua peccatorum servitutem exuant atque intendunt animum perfectioni. Alii enim asserunt peropportunum esse si, deposito timore servili, filiali timore moveantur. Alii, e contra, aestimant nunquam servilis timoris salutaris motivo praetermittenda esse. Alii vero prioribus assentiuntur tantum si de perfectioribus agatur quibus non expedit timore duci servili sed dumtaxat filiali.

Quid dicendum?

Solutio

202 Primi quidem exaggerant dum id quod est melius secundum se dicunt melius quoad omnes. Si enim agitur de peccatoribus, qui peccatorum servitutem exuant, insistendum est proculdubio in timore servili. Ad obiectio- nem enim: «Intentio legislatoris est ut homines faciat bonos...; sed ille qui solo metu poenarum oboedit legi,

¹ «Possumus loqui de paenitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in paenitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor... Secundus actus est motus fidei. Tertius actus est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis, sub spe veniae consequendae, assumit propositum emendandi...» (S. Thomas, *Summa Theol.*, III, 65, 5). Id ipsum docet Cone. Tridentinum (Denz. 798).

non est bonus...», respondet D. Thomas: «Per hoc quod aliquis incipit assuefieri ad vitandum malum et ad implendum bona propter metum poenae, perducitur quandoque ad hoc quod delectabiliter et ex propria voluntate hoc faciat. Et secundum hoc lex etiam puniendo perducit ad hoc quod homines sint boni» Propterea, maxime in Lege Veteri, ipse Deus homines induxit per comminationem poenae temporalis ad observantiam praeceptorum: «Videmus in scientiis speculativis quod media proponuntur auditori secundum eius condicionem: unde oportet ordinate in scientiis procedere, ut ex notioribus disciplina incipiat. Ita etiam oportet eum qui vult inducere hominem ad observantiam praeceptorum, ut ex illis eum movere incipiat quae sunt in eius affectu; sicut pueri provocantur ad aliquid faciendum aliquibus puerilibus munusculis...» 2. Quapropter «lex humana inducit homines ex temporalibus praemiis vel poenis per homines inducendis: lex vero divina ex praemiis vel poenis exhibendis per Deum» 3. Igitur «in via generationis spes est prior caritate. Sicut enim aliquis introducit ad amandum Deum per hoc quod, timens ab ipso puniri, cessat a peccato, ut Augustinus dicit, *super Primam Canonicam Ioan.*; ita etiam et spes introducit ad caritatem, inquantum aliquis, sperans remunerari a Deo accenditur ad amandum Deum et servandum praecepta eius» 4.

Postremi quoque decipiuntur dum motiva timoris servilis volunt perfectioribus omnino extranea. In propositionibus damnatis Fenelonii haec prima habetur: «Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum

i S. Thomas, *l. c.*, I-II, 92, 2, 4m.

3 *Ibidem*, 99. 6.

' *Ibidem*, 2m.

* *Ibidem*. II-II, 17, 8.

habent amplius in eo partem...» (Denz. 1327). Viatoribus quantumvis sit possibilis actus dilectionis Dei purissimae seu desinteressatae, non est possibilis habitualis seu permanens status perfectionis in quo amor sui partes obtineat nullas (186). Quod si «perfecta caritas foras mittit timorem» (I loa. 4. 18), caritas in hac vita nequit esse perfecta sic quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum¹; porro quando non fertur actu, nonnulla possunt eum allicere atque movere ut peccet, timore vel inferni vel purgatorii superanda. Sic et studiosi non indigent ut plurimum cogitare de finali examine ut studeant; interdum tamen, nisi examinum memores, a studio, propter occurrentes molestias tum animi tum corporis, abstinerent.

204 Iis ergo qui mediam extulerunt viam oportet nos palmam deferamus: motiva casti seu filialis timoris motivis timoris servilis misceantur, ea frequentia et mensura quae sublecti condicioni respondeant; sic ut frequentius insistamus in timore poenae cum agitur de peccatoribus, minus autem frequenter dum sermo fit intentis perfectioni, quin vel ipsis perfectionem assecutis permittamus inferni et purgatorii perennem oblivionem. Quoniam non distinguitur caritas incipientium, proficientium ac perfectorum, quasi quaelibet haberet negotium excludivum, sed negotium dumtaxat principalius. Expresse D. Thomas: cillis in quibus caritas incipit, quamvis proficiant, principalior tamen cura imminet ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minus sentientes, iam quasi securius ad profectum intendunt... Perfecti etiam in caritate proficiunt: sed non est ad hoc principalis eorum cura»². Porro in praesenti statu vel ipsismet per-

¹ S. Thomas. I. c., q. 24. a. 8.

² *Ibidem*, a. 9, 2m, 3m.

fectis non desunt occasiones in quibus amor Dei efficaciam plenam non exercet; tunc ad superandas tentationes eos oportet in mentem revocare paratam victoribus coronam, poenam aeternam vel temporalem victis.

Alii casus.

C. II.—Nonnumquam dubius haeret Laurentinus, confessarius, dum paenitentes audit se accusantes de timore mundano vel humano; nescit enim quo signo dignoscat hominem collocare in rebus temporalibus finem suum ultimum. De hoc ergo interrogat theologum. Quid dicendum? 205

Sol.—Ad rem Bafiez: «Dico primo, signum certum esse quod quis constituit finem ultimum in aliqua re temporali, quam amat, si adhibet media quae sunt peccata mortalia vel actu vel proposito expresso Dico secundo, quod antequam quis actu vel proposito adhibeat talia media, occultum esse potest an talis amor etiam intensissimus sit peccatum mortale. Probatur quia signa, unde hoc colligi potest, non sunt certa, v. gr.. multa cura, multa cogitatio et labor assiduus; sed omnia ista de se possunt in bonum finem dirigi et possunt esse in homine qui statuit nullum transgredi praeceptum. Dico tertio quod peccatum mortale non potest colligi ex magna intensione amoris... Dico quarto, quod per accidens aliquis actus poterit esse peccatum ex circumstantia intensio: primo ex periculo neglegendi alicuius praecepti impletionem suo tempore...; secundo potest intensio esse peccatum, quando propter illius magnitudinem obliviscitur homo alterius operationis ad quam tenetur» L

BAftEZ, in II-II, q. 19, a. 3.

206 C. III.—*Hac* declaratione habita Laurentinus petit iterum, utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo quod ex illo committitur.

Sol.—«Respondeo primo: qui sic timet amissionem boni temporalis, ut pro eo servando paratus sit actualiter vel virtualiter, et non habitualiter tantum, quodcumque peccatum mortale committere, et occurrente casu, v. gr., peierat ex illo timore, timor est peccatum distinctum a periurio: quia ante periurium iam erat peccatum; ideo in confessione distincte exprimendum Secundo: qui timet amissionem boni temporalis iam aliunde prohibiti, puta, timet non fornicari, et ex hoc timore peccat, puta, furatur, timor iste est etiam peccatum speciale distinctum a furto: aliud enim peccatum est amare fornicationem, aliud amare furtum. Tertio: extra hos duos casus, timor mundanus non est peccatum distinctum ab illo quod ex eo committitur; v. gr., quis, occasione data, metu amittendae famae peierat; timor iste non est peccatum distinctum a periurio. quia non est vitiosus nisi in quantum coniungitur periurio; unde sufficit dicere in confessione: Peieravi» l.

207 C. IV.—Bibiana fatetur confessario eo usque nec raro allici venerea voluptate ut corde et ore penes semetipsam haec verba effutiat: Si non esset infernus, corpus darem prostitutioni. Vehementer ipsam confessarius obiurgat de timore serviliter servili.

Sol.—Recte proculdubio confessarius, quoniam, in casu, Bibiana eligeret peccatum ubi effugeret poenam; afficitur quapropter ad peccatum et ideo peccat, non solum condicionaliter sed absolute²; non alias atque ille

i Billuart, *Summa S. Thomae*, tr. De spe, a. 4.

« Merkflb'ch, *Th. Mor.*, III, 501, ed. 3.—«Qui dicit: *peccarem si non esset infernus*, vel id intellegit de actuali voluntate condicionali: st impune possem, peccarem; et tunc nulla adest sincera attritio; vel

qui furari vult, a furto tamen abstinet quoniam timet ne detegatur et incarceretur.

C. V.—Bibiana non acquiescit et confessario obicit 208
perplures sic esse comparatos ut peccarent si metus inferni eos non cohiberet, et tamen nemo dicit in iis latere affectum ad peccatum.

Sol.—Respondet Merkelbach: «Ex actibus conditionale futuris nemo bonus est aut malus. Nam multi, si Dei vel virtutis amore non ducerentur, de facto peccarent, et tamen ideo non dicunt hic et nunc: vellem peccare, nisi Deum aut virtutem diligerem. A pari pro illis qui ducuntur timore (simpliciter) servili» \

C. VI.—Frequentans scholam theologiae Albinus 209
scrupulo agitatur quoad timorem simpliciter servilem: audivit etenim metum causare quidem voluntarium simpliciter at simul involuntarium secundum quid. Ergo ille, arguit, qui ex metu gehennae abstinet, v. gr.. a luxuria, habet castitatem involuntariam secundum quid et, propterea, afficitur ad luxuriam; non alias ac mercator qui in discrimine naufragii merces in mare proicit affectum retinet ad has merces.

Sol.—Albinus imperfecte dumtaxat intellexit lectionem traditam in schola quoniam metus non dicitur causare involuntarium secundum quid nisi ut in pluribus, dum scilicet affectum servat ad id quod negligitur minus bonum; sic in praedicto casu mercatoris, hic affectum retinet ad merces; ideo dolet de illarum amissione, easque tristis proicit. At quandoque nullum affectum servat: vir nobilis qui infamiam pertimescens fugit

de indicio intellectus conjecturali: tam infirmus sum, ut praevideam me peccaturum fore si non esset Infernus; et id cum vera et sincera attritione componi potest» (Id., *ib.*, n. 502).

i Id., *ib.*, n. 501.

furtum, non necessario afficitur ad furtum (I, 49η); sicut nec studiosus, qui perviligio examinum vacat libris, necessario desisteret a studio si nullum examen immineret; de facto et prius studuit nec nunc de studio dolet. Scite ad haec Fanfani: «Filius prodigus, qui patrem dereliquerat et substantiam suam dissipaverat luxuriose vivendo, fame seu timore dolorum et mortis ad paenitentiam ductus est patremque denuo adivit. Iam vero, si timore *serviliter servili* egisset, affectum ad luxuriosam vitam servans, eius quidem agendi ratio laude non fuisset digna. Sed quia timore percussus vere etiam peccatum, tamquam miseriae suae causam, odio habuit, veniam obtinuit et in priora iura redintegratus est. Ita peccator, qui ex metu gehennae vere peccatum, ut gehennae causam, detestatur, et ut eam fugiat, sincere vult Deo servire, honeste ac laudabiliter agit» |

210 C. VII.—Nicephorus, invocans axioma philosophicum *Propter quod unumquodque tale, et illud magis*, aestimat omnem hominem qui peccatum odit propter infernum, magis odire infernum quam peccatum, minus prae maiori malo; hinc omnem timorem servilem malum reputat.

Sol.—Ad haec Billuart: «In odio peccati propter infernum, vi istius actus, non fit comparatio inter peccatum et infernum, sed tantum odio habetur peccatum propter infernum, tamquam propter finem proximum, non excludendo aliud motivum magis odio habendi peccatum quam infernum, sed ab illo abstrahendo. Ad probationem ex vulgari axiome, illud verum est quando excluditur omne aliud motivum odio habendi illud quod odio habetur propter aliud: secus quando non excluditur... Justus diligit Deum propter retributionem; non tamen sequitur quod magis diligit retributionem quam Deum.i

i fanfani, Th. Mor., IV, 280.

Similiter igitur qui odit peccatum propter infernum, non sequitur quod magis odiat infernum, quia licet de facto non odiat peccatum propter aliud motivum, quia, ut suppose, adhuc peccator est sine amore Dei benevolo, at tamen istud motivum seu metus inferni, cum non sit finis ultimus, quantum ex se non excludit aliud motivum, puta amoris, licet etiam non includat, sed ab illo abstrahat; immo ad illud inducit et disponit» 1.

IV. DESPERATIO

Doctrina.

Desperatio valet intellegi tripliciter: negativa, in- 211
nuens spei defectum penes illum qui, sufficienter saltem, nihil audivit de iis quae fides proponit speranda, qualis est in infidelibus negativis (43); privativa, dicens omissionem actus spei debiti seu praecepti (172); et contraria seu positiva, nominans positionem actus contrarii spei.

Desperatio contraria sive positiva accipi potest imperfecta, id est non plene deliberata—ex subreptione, ob animi pusillanimitatem, vacuitatem cerebri, dispositionem melancholicam, tentationem diaboli—, atque perfecta, id est plene deliberata—ad iudicium rationis superioris consequens.

De desperatione negativa, quaestio nulla (43). Malitia 212
desperationis privativae patet ex dictis (172). Liquet etiam iudicium de desperatione positiva imperfecta ferendum esse secundum voluntarii regulas generales. Sermo igitur praesens, de una desperatione positiva et perfecta.

¹ Billuart, *l. c.*, tr. de sacramento paenitentiae, diss. 4, a. 5. Cf. supra n. 184.

Hanc imprimis dicimus peccatum: et quoniam in Scriptura reprehenduntur qui desperarunt—v. gr. Cain et Iuda—, et quoniam desperatio nominat voluntatis fugam a Deo auxiliante et ideo a Deo beatificante, hunc autem voluntatis motus sequitur intellectus errorem voluntarium seu vincibilem: falso siquidem iudicat desperans se destitutum divino auxilio quo beatitudo aeterna sit sibi possibilis adeptu, et culpabiliter praecipitat desperationis actum, cum deberet sub directione fidei illud iudicium reformare—iudicans auxilium Dei sibi quoque, vel his in adiunctis, expeditum x.

213 Dicens positivum recessum voluntatis a Deo—a Deo nempe auxiliante in ordine ad beatitudinem aeternam—, desperatio venit peccatum grave; immo et gravius peccatis contra moralem quamlibet virtutem (45) Destruit propterea caritatem, omnium virtutum formam.

Vel unicum peccatum grave desperationis positivae corrumpit spei habitum infusum, propterea quod desperans respuit omnipotentiam auxiliantem, in qua spes lota nititur (169), et ideo destruit specificativum habitus spei—quem ad modum et negans pertinaciter fidei dogma unum non amplius tenet cetera quia Deus haec revelavit et Ecclesia proponit (46).

214 Non tamen corrumpit necessario habitum fidei. Etsi valeat enim quis desperare propterea quod existimat speculative et universaliter misericordiam Dei non esse infinitam, aut remissionem peccatorum non esse concreditam Ecclesiae—tunc haberemus desperationem haereticalem sive qualificatam seu mixtam cum infideli-

1 Prout motus voluntatis consonans intellectus iudicio vero bonus est moraliter ex sese, sic, e contrario, malus secundum se dicendus est voluntatis motus sive prosequens quod intellectus falso iudicat esse prosequendum sive fugientis quod intellectus falso iudicat fugiendum esse. Nec malus tantum, sed et peccaminosus. quotiescumque error intellectus vincibilis sit seu voluntarius.

tate—; potest tamen contingere quod quis practice atque actualiter existimet sibi desperandum esse in adiunctis de misericordia Dei et venia Ecclesiae, retinens veram existimationem fidei speculativam universalem, immo et practicam sive universalem sive et particularem habitualement, quo quidem in casu desperationem simplicem incurreret.

Attamen, quoniam sublato fundamento, domus corruit, amissa virtute fidei, ipse spei habitus corrumpitur: nequit enim aliquis sperare beatitudinem aeternam nixus divino auxilio nisi fide teneat et supernam beatitudinem possibilem et auxilium Dei paratum sibi.

Quamvis peccatum desperationis simplicis non sit 215
gravius peccatis odii in Deum et infidelitatis, est tamen periculosius ex parte nostra: sicut per spem enim revocamur a sectandis malis et introducimur ad bona prosequenda, sic per desperationem homines ab operibus bonis retrahuntur, quorum non vident exitum, atque praecipites se tradunt vitiis, ac si vellent quaestu praesenti futuram iacturam compensare 1.

Casus primus.

Helena, postquam in multos annos licentia libidine- 216
que lascivivit, tandem, vitae sacietate capta, confessa-

1 Voluntas non movetur nisi ad iudiciuin practicum intellectus quod sit particulare—cum actiones sive in singularibus—simul ac actuale—sive actualiter applicatum ad voluntatem dirigendam—. Ergo iudicium speculativum intellectus non movet voluntatem; neque iudiciuin practicum universale; immo neque iudicium practicum particulare manens in habitu. Igitur prout ex sola propositione universali non sequitur conclusio particularis, sic nec ex solo iudicio speculativo sequitur iudicium practicum, neque ex iudicio practice habituali iudicium practicum actuale

2 Prout «a delectationibus luxuriae praecipue aliqui abstinent propter spem futurae gloriae, quam desperatio subtrahit» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. 153. 4, 3m), sic et contingit quod de quibusdam pronuntiavit Apostolus «Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam» (Eph., 4, 19).

rium, at veluti casu, adit. Licet enim peccata sua fastidiat, nec ideo tamen de his vere dolet, nec eorum veniam sperat: siquidem Deum — ita ipsa — iterum atque iterum praefidens deprecata est ut vitae genus concederet quo posset a peccatis abstinere, at Ille suas preces semper adversatus est. Adulescentula, parentibus orbata, vitam religiosam petiit, at exinde paulo post ob sanitatis defectum dimissa est. Hinc quaesivit laborem atque maritum; neutrum invenit, sed potius moralis ruinae occasionem. Post lapsum conata est rursus spem accendere atque se in moralem libertatem vindicare: at frustra: quoties libertatem quaesivit, toties laqueos invenit ac facilem peccandi occasionem.

Quapropter, tandem, animo plane cecidit atque, rabida quadam ultionis cupiditate incensa, peccata in dies auxit, aliorumque quoque ruinam perditae quaeritans. Nequit igitur, nunc, divinam misericordiam sperare, neque potest serio, ob pravos atque inveteratos habitus, emendationem promittere.

Quaeritur: Quomodo confessarius cum Helena agere debeat.

Solutio

- 21" Imprimis attendat confessarius ad paenitentis feminae condicionem. Nam casus est de femina quae incidit in peccatum desperationis, Deum existimans suis precibus perpetuo aversum et tam misericordiam divinam quam emendationem propriam impossibiles Ruit autem in peccatum illud ex acedia: quamvis enim luxuriae indulserit, haec desperationis fuit effectus potius quam causa, aut quia se tradidit libidini veluti compensans delectationibus praesentibus miseriam futuram, aut quia — ipsi si fidem adhibemus — voluit se vindicare contra Deum, immo contra melioris condicionis proximos: ra-

oida enim cupiditate incensa auxit in dies peccata aliorumque ruinam perditae quaeritavit.

Erga hanc animam quae, intra se penitus reclusam, ob tristitiam auxilium Dei non amplius considerat possibile, sit caritate plenus; agitur femina quae pridem atque modo bonam prae se fert dispositionem: pridem, cum non semel fuerit Deum deprecata ut vitae genus concederet in quo abstineret a peccatis—unde et religiosam vitam tentavit et conatus adhibuit plures quibus spem reaccenderet atque Christianam vitam perduceret—; modo insuper, quoniam vitiorum satietate capta est ac honestam, non tantum vellet, sed sincere atque vere vult ducere vitam, licet se imparem protestetur et in corde existimet; agitur immo, femina quae tentationi non dedit manus vinctas nisi post colluctationem protractam, quando Deus scilicet visus fuit precibus aversus atque laqueos paratos tetigit quocumque se vertebat.

Sed haec femina, quae absque dubio peccavit gravi desperatione positiva, indeque spem amisit, fidem infusam retinet. Eius propterea animum confessarius erigat memoria veritatum quibus fides abundat, v. gr. Deum non velle peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat; Christum venisse ad vocandos peccatores, non iustos; Christum pastorem esse bonum, qui currit post ovem quae perierat eamque semel inventam ducit humeris et dat animam pro ovibus suis; afferat parabolam de filio prodigo, exempla tot virorum atque feminarum quibus Deus veniam largitus est post maiora etiam crimina; ipsi denique aperiat hunc quoque, veluti casualem, occursum confessarii praeparatum revera fuisse divina Providentia, quia Deus eius animam pluris facit atque pollicitatur de conversione sua—Ille enim qui religiosam vitam inspiravit et ad desiderium vitae Christianae inflamavit pridem, is ipsemet, redeuntem a via iniquitatis, vitae satietate captam seu lassatam, verbis dulcissimis

invitat: «Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos., et invenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suave est et onus meum leve» (Mt., 11, 28 ss.)

219 Helena obiciet forsitan: Cur, si Deus me diligit, me deseruit? Reponat confessarius ipsam a Deo nullatenus desertam; probavit quidem Deus eius constantiam, at in hac probatione illa defecit: non enim Deus promisit dare nobis quaecumque petimus, sed quae petimus necessaria ad salutem atque perseveranter; quae ipsa petiit a Deo erantne ad salutem necessaria? petiitne saltem perseveranter? Deus etenim non male egit quod vota differebat, eius fidens constantiae atque generositati; sed hanc agendi rationem ipsa vertit in indifferentiam, forsitan et in odium. Deus etiam promiserat non sinere nos tentari supra id quod possumus, at facere cum tentatione proventum ut possimus sustinere (I Cor., 10. 13); cur ipsa huic non fedit divinae promissioni?

Si Helena, denique, conqueratur Deum non debuisse magnum illum animum exspectare a femina ita debili, confessarius lepide respondeat: Tu non est debilis, cum ex propria tua confessione, ausa sis luctare contra Deum, ut te de divina derelictione vindicares.

220 Quod si Helena spem recuperet de divino auxilio sibi oblato, confessarius hoc auxilium sufficiens dicat etiam ad diuturnos habitus pravos eradicandos, cum Tridentinum doceat «in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent» (Denz. 806); in Dei tamen auxilio, non in viribus propriis. Renovatio non erit facilis, quasi miraculosa; est attamen possibilis. Nec praexigitur ad veram contritionem; sufficit emendationis propositum seu voluntas. Parata sit Helena facere quod in se est; Deus illi non denegabit gratiam. Ne timeat ergo; si relabatur, relevetur; relapsus iam erit minus

voluntarius; paulatim vincet id a quo fuit devicta. Fugiat et declinet occasiones; oret; frequentet sacramenta, etc.

Quando Helena ad haec omnia sit prompta, confessorius ipsam adiuvet in procuranda integritate confessionis; de peccatis commissis excitet ad dolorem, *remedia* suggerat, imponat paenitentiam, paenitentem absolvat.

Alii casus.

C. II.—Non semel Zosimus paenitentes audit se de 221 peccato desperationis accusantes; nescit ipsemet qua ratione desperationem imperfectam a perfecta secernat. Critérium igitur sciscitatur a theologo.

Sol.—«Critérium valde practicum ad sese certiorandum an paenitentes vere et plene in peccatum desperationis consenserint est eos interrogare utrum, non obstantibus talibus motibus desperationis, omiserint necne consueta pietatis exercitia et opera bona; si non omiserint, a peccato desperationis, vel saltem a peccato mortali, immunes censi debent; oppositum e contra iudicandum si ea omnino omiserint, putantes Deum nolle aut non posse sibi subvenire» Sic Fanfani

C. III.—Pacificus, militari servitio addictus, adeo miserum se reputat ut saepe mortem optet. Peccavitne desperatione? 222

Sol.—An hunc casum Genicot: «In hoc desiderio mortis plerumque nihil aliud reperitur nisi quaedam impatientia in ferendis huius vitae tribulationibus: quae peccatum veniale regulariter non excedit. Ut ad peccatum mortale pertingat idem desiderium, duo requirun-

tur quae raro adsunt in praxi: prius, ut homo mortem optet cum plena deliberatione; posterius, ut omnino divinae Providentiae ordini subesse detrectet»¹ Non ergo de facili Pacificus de peccato desperationis est dammandus.

- 223 C. IV.—Nicostratus, qui confessionibus audiendis totus incumbit, nonnullos detegit viros et feminas praesertim se reos desperationis declarantes, cuius tamen originem suspicatur physiologicam vel psychologiam dispositionem pravam; eo vel maxime quod remedia moralia semel ac iterum ab eo suggesta fructum dederunt nullum. Quid ipsi agendum?

Sol—Quoties desperationis causa, partialis saltem, physiologica sit vel psychologica, remedium quoque proprium adhibendum est. Si ergo confessarius causam detegat corporis dispositionem pathologicam, paenitentes remittat ad medicum peritum atque probum; si obsessionem, vel ideam fixam, vel characterem scrupulosum, illos inducat ad laborem qui distrahat animum sine iniuria salutis, ad plenam tum fiduciam tum oboedientiam erga spiritus directorem, etc.

- 224 C. V.—Monica filium habet quem omni prorsus cura ab incunabulis educavit religiosissime. Verum adolescentiam ingressus, consodalium cedens sermonibus et exemplis, luxuriae adeo laxavit habenas ut sensim sine sensu spem Christianam penitus amiserit. Cum enim a matre ad meliorem frugem revocatur ob repositum nobis caeleste praemium, «hoc, ait ille, sit pro vobis feminis devotis quae nullam aliam habetis nunc tot laborum coronam; nobis autem melius est praesentibus potiri quam futura insectari». Monica miratur quod luxuria

¹ Genicot, *Casus Conse.*, 41, ed. 1928.

desperationem gigneret nam audivit a praedicatore illam esse huius filiam, et petit a confessario qua ratione valeat dilectum filium ad spem Christianam revocare.

Sol.—Non est cur Monica miretur si interdum desperatio provenit ex luxuria. Ob nimium enim affectum ad corporeas delectationes, in quibus venereae longe praestant, homo parva reputat bona spiritualia (175), quoniam, prout margaritae porcis et sancta canibus sunt nullius valoris, sic et bona spiritus carnalibus hominibus. Non amplius aestimata ut magna bona, caelestia amiserunt pro filio rationem ardui, quae ad obiectum pertinet spei.

Quo autem modo ipsa valeat filium ad spem iterum revocare? Praeprimis, oratione crebra cum lacrimis, donec dicatur ipsi: Fieri non potest ut filius istarum lacrimarum pereat. Insuper, illum excitet ad spirituales delicias degustandas, quae quidem «cum non habentur in fastidio sunt, cum vero habentur in desiderio; tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur» l.

C. VI.—Inter nonnullos theologiae studiosos, quodam 225 animi impetu, disputatum fuit num peccaret beatitudinem aeternam non sperans is cui Deus revelaret aeternam damnationem futuram.

Sol.—Si huiusmodi revelatio viatori fiat de potentia Dei absoluta, quod eius damnatio est formaliter in semetipsa praesens aeternitati Dei—prophetia, ut aiunt, praescientiae—, viator, certus de existentia et de natura revelationis, non peccaret beatitudinem aeternam non sperans: hanc namque vere indicaret practice impossibilem, cum motivum sufficiens ei adesset ut se exis-

l S. Gregorius M., *Honulia* 36 in *Evang.*; PL., 76, 1266.

timet exclusum ab electorum numero | De potentia tamen ordinaria hanc revelationem Deus non facit nisi quatenus hominis damnatio est Illi praesens in suis causis secundis—prophetia comminationis nempe— quasi diceret: Nisi te convertas a via tua prava, damnationem aeternam non effugies; et tunc viator, cui revelatio fieret, peccaret non sperans aeternam beatitudinem.

- 226 C. VII.—Meiania, diuturno afflicta morbo, sanitatem a Deo et a B. V. Maria per plures annos precata est. Cum eam non obtinisset, statuit nullas amplius effundere ad Deum et ad Sanctos preces, inquiring: Deus non vult me exaudire.

Sol.—«Meiania graviter peccat contra spem, si ideo revera cessat orare quod sibi persuasa sit Deum nolle ipsi sua auxilia praestare. Si vero ex inordinata quadam tristitia animum despondeat et ab oratione cesset, non nisi venialiter peccat. Si tandem cessat sanitatem petere, quia credit Deum ex secreto suae sapientiae indicio nolle ipsi sanitatem restituere, non ideo ex hoc peccat». Sic Bucceroni² ex Gury.

V. PRAESUMPTIO

Doctrina

- 227 Praesumptione, spei theologicae contraria, homo intendit id obtinere auxilio Dei quod non nisi auxilio Dei inordinato est obtentu possibile: bonum enim futurum, spei atque praesumptionis obiectum, non dependet a

¹ «Damnati non sunt in statu sperandi, propter impossibilitatem reditus ad beatitudinem. Et ideo quod non sperant non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum» (S. Thomas, *l. c.*, 20, 1, 3m).

Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 32/2, ed. 1913.

sola Dei potentia, sed ab Eius insuper voluntate, quae, cum agat ad sapientiam et iustitiam conformiter, statuit, v. gr., non dare gratiam sine paenitentia nec gloriam sine meritis

Praesumptio alia est imperfecta, seu non plene deliberata—v. gr. ex subreptione—, et alia perfecta seu plene deliberata, prout supra diximus de desperatione (2U).

Plene deliberatam plures distinguunt *contra* et 228
praeter spem Alterius generis foret, pro quibusdam. praesumptio non-haereticalis; pro aliis, praesumptio qua quis sperat, modo tamen inordinato, quae Deo conveniunt, id est: tz) ex gratia et meritis, bona supernaturalia praeter communem tamen ordinem Providentiae—verbigratia, tantam gloriam quantam obtinuit B. Virgo—; b) bona supernaturalia ordinaria quidem sed non divinitus promissa—v. gr., tempus paenitentiae in fine vitae, nihil interdum curando de salute—; c) aut qua quis abutitur fiducia in Deum veluti motivo sive ad peccandum sive ad perseverandum in peccato.

Haec attamen distinctio nec habetur in D. Thoma nec facile acceptari poterit a Thomistis l. Non enim sola praesumptio haereticalis est contra spem, cum possit quis, ut dicemus (230), peccare contra spem ob errorem practicum, sine errore speculativo. Neque illa tantum praesumptio est contraria spei qua quis speraret a Deo quae non conveniunt Deo: nititur namque spes non divina omnipotentia qualicumque, sed divina omnipotentia ordinata per intellectum et voluntatem quapropter sperare ab omnipotentia non ordinata est actus contrarius actui spei.

» Cf. Vachon, *La vertu d'espérance et le péché de présomption* Quebec!, 1958, pp. 197 ss.

229 Praesumptio plene nempe deliberata, est peccatum mortale. Peccatum quidem, cum importet motum appetitus consonum errori vincibili intellectus (cf. 212): falso enim praesumptuosus iudicat Deum sibi in peccato perseveranti largiturum gratiam vel a bono opere desistenti concessurum gloriam, atque temere prorumpit in actum praesumptionis, cum instaret iudicii, sub directione fidei, castigatio (*ibj*, Peccatum, insuper, mortale, quoniam infert praesumptuosus gravem iniuriam Deo, cuius minuit virtutem—quam supponit ab ordine sapientiae atque iustitiae defectibilem—et a quo recedit auxiliante et beatificante—accedens enim tum ad auxilium quod non est Dei, orbatum nempe sapientia atque iustitia, tum ad beatitudinem re impossibilem, haec cum non possibilis sine auxilio Dei—, praesumptuosus vere recedit ab obiecto spei, prout declinans in errorem deviat a veritate.

230 Peccatum praesumptionis, gravius peccatis contra virtutes morales, est minus grave quam peccatum desperationis: bonitas enim, quam desperans contemnit, convenit Deo secundum Se; iustitia autem seu rigor, quem praesumptuosus despicit, convenit Deo propter peccata nostra. Est, a fortiori, minus grave peccato odii in Deum, immo et peccato infidelitatis (215).

Perspicuum enim duco praesumptionem, non alias atque desperationem (214), contingere cum infidelitate, verum etiam cum fide. Cum infidelitate, ubi praesumptuosus iudicaret, etiam speculative et universaliter, Deum dare peccatoribus veniam sive gratiam absque paenitentia, adultis gloriam absque meritis, et inde ad praesumptionem moveretur—praesumptio haereticalis, sive mixta cum infidelitate—. Cum fide pariter, quoniam optime fieri potest ut praesumptuosus sibi, peccatori promittat ex iudicio pratico et actuali tum veniam abs-

que paenitentia tum gloriam abs meritis, retinens simul verum indicium fidei speculativum universale, immo et iudicium practicum tum universale tum particulare habituale—praesumptio simplex.

Casus primus.

Agapitus, ebrietati atque luxuriae deditus, propterea 231
conversionem ad extremum vitae tempus differt sperans se ex divina misericordia veniam tunc habiturum mdeque aeternam beatitudinem consecuturum, quod et misericordia Dei numquam deficiat, teste Ezechiele (33, 12): «Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua» et Deo sit tam facile ignoscere decem quam quinque peccatis.

Quid de ratione agendi Agapiti?

Solutio

Differens conversionem ad vitae extremum tempus, 232
Agapitus peccavit non iis solis peccatis, dicitur luxuriae et ebrietatis, quibus induisit, verum etiam peccatis quae praevidit—saltem in confuso—secutura turpem habitum, voluntarie acquisitum et nutritum atque minime retractatum. Peccavit etiam graviter contra virtutem paenitentiae, cuius praeceptum urget semel saltem in anno¹. Insuper «difficulus hic posset excusari a peccato gravi contra caritatem erga seipsum; cum ex communi consensu Doctorum, qui sic proponeret, magno periculo suae damnationis se exponeret»

¹ Cf. Prümmer, *Th. Mor.*, III. 314, ed. 1928; Merkjebach, *Th. Mor.*, in 414, ed. 3.

J. S. Alphonsus, *Th. Mor.*, II, 21 ed. Gaudé.

233 Sed an ulterius peccaverit contra spem manet explorandum.

Nam spes veniae potest se habere ad ebrietatis et luxuriae peccata concomitanter aut antecedenter.

Se habet concomitanter quando ratio sive motivum peccatis indulgendi vel conversionem differendi non venit ipsa spes, at quidnam aliud, v. gr., passio, prava consuetudo; qua profecto in hypothesis Agapitus non peccasset *ob* seu *propter spem* futurae veniae, verum dumtaxat *cum spe* veniae futurae (I. 49).

Se habet, contra, antecedenter quando spes veniae est ratio seu motivum peccandi et conversionem differendi; tunc quis peccat et conversionem differt, non praecise veniam sperans, sed propterea quod sperat veniam. Et hic, si stamus verbis, casus Agapiti.

234 Porro dum vertit misericordiam Dei in motivum peccandi et conversionem differendi, Agapitus totus nititur in auxilio Dei inordinato: hoc etenim auxilium ordinatur sapientia in detestationem peccati atque conversionem in Deum. Peccavit igitur praesumptione.

Etiam cum ideo peccat et in peccato perseverat quoniam Deo sit aequae facile decem peccatis ignoscere quam quinque, reus fit Agapitus peccati contra spem. Quamvis enim omnipotentiae Dei absolutae nihil sit difficile, nec propterea unum sit prae alio difficilius, omnipotentiae tamen ordinatae per intellectum et voluntatem veniae est decem peccatorum non modo difficilius sed interdum practice impossibilis, quando Deus scilicet stauerit huic homini veniam denegare usque decies peccanti.

A l i i c a s u s .

235 C. II.—Increpatus a confessario quod divinam virtutem minuatur sperans veniam sine paenitentia vel glo-

riam absque meritis, reponit lanuarius se potius hanc virtutem extollere, quippe quae maior est dum attingit finem sine mediis quam attingens finem per media.

Sol.—Licet considerata virtus ex parte unius potentiae maior appareat attingens finem sine mediis quam finem per media, considerata tamen quatenus sapientiam habet atque iustitiam comites, revera est maior quae finem attingit ordinate—effectum una ac ordinem quam quae attingit finem inordinate—effectum sine ordine—. Ideo quamvis praesumens videatur facietenus divinam extollere virtutem, hanc revera deminuit, ipsam destituens propria perfectione. Prout deminueret legislatoris perfectionem eum qui capacem dixerit leges temere et inconsulto condendi, et deminueret iudicis perfectionem hunc qui promptum aestimaret ad sententiam ferendam, non iuste sed pro libitu.

C. III.—Torvis oculis pervolvit Laurianus modernorum theologorum paginas de Maria cunctarum gratiarum Mediatrice. Haec etenim mediatio sibi videtur sentimentalismo religioso potius favere quam devotioni solidae. Quapropter asserit se quidem gratiam et gloriam sperare a Deo, nullatenus tamen a B. Virgine. Peccatne contra spem? 236

Sol.—Quandiu placuit Deo uti causis secundis in salutis nostrae negotio (177), Eius auxilium ordinatum ad nos usque pertingit per mediationem harum causarum. In his profecto primum obtinet locum B. Virgo, quae propterea vocatur *Omnipotentia supplex*. Hanc ergo ordinationem si positive excludit, Laurianus nititur divina omnipotentia inordinata, igitur et peccat contra spem.

C. IV.—Eleusiopus sincere quidem dolet de peccatis ob timorem inferni; recusat atamen ad Paenitentiae sacramentum accedere quoniam, inquit, Deus indubie 237

potest attrito veniam dare absque interventu hominis confessarii. Estne damnandus de peccato praesumptionis?

Sol.—Affirmative, totus enim nititur omnipotentia Dei inordinata. Valet etenim Deus, de potentia absoluta, conferre veniam peccatori attrito sine confessione sacramentali. Semel autem ac determinavit hanc veniam non conferre nisi per ministerium hominis confessarii, venia non est amplius practice possibilis sine confessarii absolutione.

238 C. V.—Irina, sanctimonialis atque religiosae perfectionis cupida, non modo perpetuo satagit illa quaecumque exsequi quae meliora sibi innotescunt, verum et conatur caritatem augere actibus gradatim intensioribus, perans, ex divino quidem auxilio, tantam gratiam et gloriam obtinere, si vita eius protrahitur, quantam obtinuit de facto B. Virgo. Eam atamen confessarius, cui rem ipsa pandit, de praesumptionis arguit peccato. Iure aut iniuria?

Sol.—Iure quidem optimo. Spei enim obiectum venit bonum possibile, non potentia Dei absoluta, sed Dei potentia per intellectum et voluntatem ordinata. «Unde ubi cognoscimus, aut cognoscere debemus et possumus aliqua non esse futura, non possumus illa nisi imprudenter sperare. Cognoscimus vero, aut cognoscere debemus, quod licet Deus... potuerit homines elevare ad unionem hypostaticam, sive ad tantam gloriam, quantam habet B. Virgo; nihilominus oppositum decreverit, ut constat ex doctrina fidei: et quod licet haec sint possible potentiae Dei absolutae, non tamen virtuti ordinatae per eius voluntatem et providentiam» \

J. Salmanticenses, *Cursus Theol.*, tr. 18, de spe, disp. 6, dub. unie., n. 1 cd. Palmé, t. XI, pp. 600 s.

C. VI.—Oswaldus Deum oravit ut ipsi subeniret in parando homicidio. Peccavitne? et quatenus affirmative, an contra spem? 239

Sol.—Vermeersch distinguit Si ad auxilium impetrandum pro valida occisione appellavit spei theologicae motivum, tribuens promissioni divinae quod omnino ei non convenit, peccavit indubie contra spem. Si mere Deum oravit, nullam promissionem divinam appellans, non peccavit contra spem, sed contra religionem—superstitione immo et, obiective, blasphemia—. Si Deum, denique, oravit ad propriam incolumitatem physicam obtinendam post homicidium consummatum, nullatenus peccavit!

C. VII.—Emygdus peccavit sub spe veniae post annum percipiendae, proponens pro futuro abstinere a peccato et paenitere de peccato. An ideo peccavit contra spem? 240

Sol.—Negative, quoniam spes veniae non fuit ipsi motivum ad peccandum at se habuit concomitanter ad peccata quibus, ob turpem puta consuetudinem, induisit. Emygdus videtur dicere cum Augustino: «Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo» Illa quinimmo spes malitiam deminuit illorum peccatorum, cum per hoc Emygdus habere videatur voluntatem minus firmatam ad peccandum 3.

C. VIII.—Philogonius, quantumcumque sollicitus de vitandis mortalibus, peccata venialia plura committit, quod, sicut praetor de minimis non curat, ita prorsus nec Deus de levibus peccatis, quae propterea facile remittit. Estne praesumptionis reus? 241

1 Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 67, ed. 1928.

' S. Augustinus. 8 *Confess.*, 7, n. 2.

' S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 21, 2, 3m.

Sol.—Respondet Prümmer: «Non est peccatum praesumptionis, si homo nullo modo vitat peccata venialia, quia ista peccata per se non impediunt beatitudinem. Nihilominus talis homo se committit gravi periculo perditionis, cum peccata venialia saepe repetita sternant viam ad peccatum mortale»

242 *C. IX.*—Auxentius indulxit fornicationi pluries ea ratione ductus quod accedens pro confessione tam facile sit ipsi decuplam declarare quam unicam. Utrum praesumptione peccaverit?

Sol.—Negative; non enim multiplicat peccata nixus inordinata potentia Dei, sed procacitate dumtaxat propria.

⁴ Prümmer, *l. c.*, I, 549, ed. 1931.

DE CARITATE

I. DILECTIO DEI

Doctrina.

Hic caritatis actus dicit amorem benevolentiae in Deum, amorem nempe quo Deum amamus prouti bonum in Se; alium ab amore concupiscentiae quo amamus Deum quatenus bonum nobis (184).

De hac dilectione datum fuit in divina lege (Deut. 6, 5; Mc. 12, 30) primum ac maximum praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sic ut ad Ipsum referantur voluntate omnia, actus ergo sive intellectus, ex tota mente tua, sive voluntatis, ex tota anima tua, sive exteriorum virium, ex tota fortitudine seu virtute tua l.*

Ne irritum id fiat dilectionis praeceptum, oportet Deum amemus non tantum effective, per aliorum praeceptorum observantiam, iuxta verbum S. Gregorii: «Probatio dilectionis exhibitio est operis»²; verum et affective quoque, actu nempe quo voluntas complacet sibi in Deo. Haec autem affectiva dilectio debet esse efficax seu

¹ Cf. S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 44. 4 s.

² S. Gregorius M., *Hom. 30 in Evang.*, PL., II, 1220.

perfecta, importans voluntatem absolutam placendi Deo, igitur et votum seu propositum servandi Eius praecepta; neque propterea sufficit dilectio imperfecta seu inefficax, quae, nihil dicens praeter quandam complacentiam de bonitate Dei absque voto sive proposito servandi Eius mandata, est potius velleitas quam voluntas.

Dei insuper dilectio petitur totalis; non quidem ex parte diligibilis, ut Deus videlicet diligatur quantum diligibilis est—cum amor infinitus, quo Deus est dignus, nulli creaturarum sit possibilis—; verum ex parte diligentis, aut secundum totalitatem absolutam—possibilem in patria seu beatis—, prout hominis affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum; aut secundum totalitatem relativam—possibilem in terris seu nunc nobis—quatenus ab hominis affectu excluditur peccatum grave, habitui caritatis contrarium, et impedimentum removetur ne homo in Deum feratur dum caritatis actus eliciendi praeceptum Instat, obligans semper sed non pro semper, utpote affirmativum 1.

Et Deus quidem amandus est amore appreciative et obiective summo sic ut Ipse praeferatur ceteris et velimus potius haec omnia amittere quam Eius amicitiam: sic insuper ut velimus Ipsi maiorem gloriam prae illam quam nobis et proximis optamus Non est tamen necessario amandus intensive plus ceteris, seu amore intensive summo: praeterquam etenim contingit nos intensius moveri sensibilibus quam spiritualibus et apprehensione praesentibus quam absentibus, actui dilectionis in Deum nulla praescribitur intensio²; unde et actus re-

1 S. Thomas, l. c., 184, 2.

4 «Praecepta Dei debent esse clara ita quod intellegamus et cognoscamus ea quia non solis theologis et doctoribus sunt data, et ideo debent esse talia quod ab omnibus cognoscantur: et non solum hoc quod intellegamus quod sunt praecepta, sed quod cognoscamus et sciamus quando implemus illa vel quando non... Tunc arguitur sic: Si Deus est diligendus super omnia intensive, nullus posset cognoscere, nec adhuc theo-

missus amoris Dei bonus et meritorius pronuntiatur. Potest ergo quis licite ferri modo quidem formaliter in Deum actu caritatis intenso ut quattuor et deinceps ferri formaliter in proximum actu caritatis intenso ut septem

Praeceptum de dilectione Dei obligat:

245

per se quidem: a) cum homo attingit rationis usum, seu cum primo ei innotescit Deum esse finem ultimum vitae praefigendum; b) in vita saepius, saltem quolibet quinquennio (Denz. 1155 s, 1289), etsi de maiori frequentia necessaria Auctores non concordent (172); c) in casu tentationis contra dilectionem Dei actu dilectionis vincendae; et d) in mortis articulo, ad plurimum placitum, nam tunc salutis via tutissima eligenda, nemo autem est certus se in gratia constitutum.

per accidens', a) quando quis tenetur recuperare gratiam sine sacramento, et b) quando tentationes contra virtutes alias forent absque illo actu insuperabiles (2).

Cum igitur amor erga Deum non petat necessario maiorem hac frequentiam, toto illo intervallo quo eius

logi, si implent praeceptum hoc, quia iste non potest scire an dilectio Dei sit intensior quam dilectio proximi... Confirmatur, quia in sacra scriptura vehementer commendatur nobis dilectio proximi: Diliges proximum sicut teipsum. Cum ergo diligo proximum, deberem esse attentus ne intensius diligam quam Deum. Certe esset pericul'osum praeceptum» (Victoria, in II-II, q. 26, a. 2, n. 5, ed. Beltrân de Heredia).

1 Nulla enim ei deficit e condicionibus signatis a Tridentino et a theologis meritorio operi. Quod si ponas actum minus intensum caritatis non esse meritorium, cum minus intensus dicatur actus comparatus ad habitum qui est subiecti, haberes actum caritatis ut quinque penes habentem habitum ut septem non esse dignum praemio quod meretur actus caritatis ut tres penes habentem habitum ut duo; magnum certo inconueniens. Hinc D. Thomas: «Quilibet actus caritatis meretur vitam aeternam... Similiter etiam quilibet actus caritatis meretur caritatis augmentum» (Z. c., 24, 6, 1m).

actus non obligat potest quis elicere actus alterius cuiusvis dilectionis licitae, actus igitur amoris naturalis et honesti utputa ad proximos titulo amicitiae, consanguinitatis. etc. Ergo et actus amoris concupiscentiae in Deum, quo diligimus Deum ut bonum nostrum, fontem atque principium boni nostri.

246 Contrarium amori Dei est odium in Deum, odium nempe sive abominationis seu qualitatis, quo aversamur effectus vel attributa Dei quatenus nobis mala seu noxia, v. gr., poenas quas infert, iustitiam, omniscientiam, omnipotentiam; sive inimicitiae seu malevolentiae praecipue, quo aversamur Deum secundum Se, cui propterea malum volumus ut Ipsi male sit, v. gr., cum de offensis eius gaudemus, de eius gloria tristamur.

Odium Dei est peccatum mortale ex toto genere neque contingit ergo fieri veniale nisi ob actus imperfectionem. At quoniam gloria externa, ex operibus expectata, minus est Deo intima quam interna Eius bonitas, odium abominationis deficit, intra eandem speciem, a malitia odii inimicitiae.

Casus primus.

247 Post paucos menses a celebratis nuptiis, Marina se in confessione accusat quod maritum diligit plus quam Deum. «Unde hoc noscis?» inquit confessarius. «Ideo, inquit, quoniam illius amore vehementissime afficior, cogitationes meae semper circa ipsum volitant, de eius absentia valde doleo et, cum labores eius considero, lacrimas amarissimas effundo. E contra, de Deo parum cogito, nec doleo de Eius absentia, nec affectus erga Ipsum e corde erumpunt et, dum passionem meditor Christi, immota maneo et frigida. Nec hoc, subiungit, etsi velim, emendare possum».

Confessarius. nullum hic detegens peccatum, inabsolutam feminam dimittit.

An recte?

SoZuiio

Agitur manifesto de amore erga sponsum intensiori 248
quam erga Deum. Gradus porro intensiois est tanto altior quo ad amatum unio magis intima. Sed unio uxoris ad maritum est arctissima: sunt enim duo in carne una (Gen., 2, 24). Et quamvis haec unio superetur unione ad filios, qui sunt, uti Caietanus animadvertit, aliquid de parentum substantia \ tamen manet insuperata quoadusque filius nascitur. Sed et ipsa novitas favet amoris ad virum intensioi, cum reddat eius societatem magis gratam et exaggeret qualitates bonas ipsius. Hinc auget desiderium praesentiae, tristitiam de absentia, dolorem de laboribus. Haec tristitia de absentia, simul cum amoris reneritudine penes feminam, facile efficit ut in lacrimas Marina effluat promptas et copiosas.

Marina ergo non peccat, saltem necessario, ob amoris ad sponsum vim seu intensioem Hic etenim amor potest esse bonus seu naturaliter honestus. Potest quoque esse nimius. Sollicitudo et zelus sunt amoris effectus spontanei; non ergo induunt malitiam qua amor ipsemet caret.

Falso Marina arguit se non amare Deum; ipse eius 249

1 «Quantum ad rationem boni uxor magis diligitur: quia diligitur ut comprincipiui ad filiorum procreationem, filius autem ut effectus; constat enim excellentioris boni rationem habere comprincipium quam effectum. Sed quantum ad coniunctioem filius magis amatur quam uxor: quia filius est aliquid substantiae parentis et pars eius, coniux autem non est pars coniugis, ut patet. Et ideo conluges magis se Invicem honorant: intensius autem amant filios. Cuius signum est maior tristitia de morte filii quam coniugis, ut sic, ceteris paribus» (Caietanus, in II-II-, 26, 11. n. 2).

scrupulus de insufficienti memoria Dei, de nulla tristitia experta ob absentiam Dei, de sua apathia cum ob oculos ei versantur tractus passionis Christi, haec omnia produnt optimam voluntatem, cuius actus venit Dei dilectio, quantumcumque de hoc actu Marina conscientiam reflexam habeat nullam. Immo actum huiusmodi Marinam elicere frequentius quam ex praecepto teneatur ex ipsamet sua sollicitudine innotescit; maxime ex eius verbis «Nec hoc, etsi velim, emendare possum». Haec conscientia emendationis impotentia, sicut non efficit Marinam peccare ob erroneam conscientiam—independens a voluntate, omissio non potest esse voluntaria—, sic nec efficit ipsam (etiam si de peccato constaret) absolutionis incapacem—aliud est etenim propositum emendationis, aliud vero emendationis spes.

250 Quod ad confessarium attinet, haec adicienda. Exploret, imprimis, naturam amoris ad sponsum, num agatur necne de amore honesto, num amor de sese honestus sit excessivus, num vel amoris excessus afficiat amorem ipsum aut sit potius effectus spontaneus seu naturalis eius intensitatis. Si nihil mali comperit, Marinam consoletur, eius corrigens falsam opinionem eamque instruens de sensu et extensione praecepti caritatis in Deum. Cum Marinam comperiat promptam ad perfectionis opera, eam excitet ut puriorem reddat amorem conjugalem, qui primo subsit caritatis influxui et postea locum cedat ipsimet caritati, diligendo sponsum propter Deum et tantum propter Deum. In hunc finem indicet ei media aptiora, v. gr., ut quoties cogitat de bonis qualitatibus sponsi, gratias reddat Deo. et quoties cogitat de eius laboribus. eum commendet divinae Providentiae

Si nihil mali confessarius invenit in Marinae amore ad maritum, nec propterea existimet hunc amorem materiam sufficientem pro sacramento Paenitentiae, petat

a Marina ut peccata quaedam e vita praeterita declaret. Quod tamen innecessarium in casu nostro, nam cum agatur confessio post menses, etsi paucos, facile Marina vel sponte vel a confessario stimulata inveniet a confessione ultima materiam aliam certo sufficientem.

A lii casus.

C. II.—Leander, theologorum scriptis familiaris, in- 251
terrogatur a confessario num elicuerit actum dilectionis in Deum quoties praeceptum urgebat caritatis Respondet autem illum actum quidem elicuisse quoties praeceptum caritatis urgebat indirecte sive per accidens; non tamen ultra, quod praecepti obligatio per se sive directa constet nullibi.

Sol.—Leander prorsus fallitur. Fuit enim damnata ab Alexandro VII propositio: «Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium» (Denz. 1101). Iure pleno Gonet: «Si enim indirecte solum et ratione alterius (praeceptum caritatis) obligat, quis non videat prius ac principalius esse alterum praeceptum directe et per se obligans? Et rursus, cum illud censeatur magis tale propter quod alterum est tale, nonne planum est praecepta propter quae mandatum dilectionis indirecte dumtaxat obligat, magis obligare quam ipsum, quod nonnisi propter ea obligat; subindeque falso dixisse Christum praeceptum dilectionis primum esse et maximum omnium mandatorum?» l.

C. III.—Aemilius putat se praecepto diligendi Del sa- 252i

i gonet, *Clypeus Th. Thomisticae*, pars II, tr. 3, diss. de conscientia, n. 107, ed. Vives, vol. IV, p. 115.

tisfacere Eum praecipue diligens ob beneficia quae ab hominibus nec sperari possunt neque obtineri.

Sol.—Aemilius, dum Deum *praecipue* diligit ob huiusmodi beneficia, non Eum exclusive diligit ob hanc unam causam. Non est ergo carpendus, si *ly praecipue* significat: a) actum amoris concupiscentiae irequentiorem, quandiu hic actus frequentior non impediatur actum amoris benevolentiae debitum; b) amorem dumtaxat intensiorem. Esset tamen carpendus si *ly praecipue* significaret a) omissionem actus amoris benevolentiae cum praeceptum caritatis urget; b) subversionem quandam valorum, sic videlicet ut appreciative magis diligit Deum ut bonum sibi quam ut bonum in Se, cum Ipse longe melior sit prae donis suis creatis.

253 C. IV.—Orontius se in confessione accusat quod Deum non diligit super omnia. Rogatus unde id noverit, «quoniam saepius, inquit, a peccatis abstineo committendis ob amorem uxoris, nec abstinerem ob amorem Dei».

Sol.—Prout contingit «saepe parentes diligere dulcius et intensius filios infantilis aetatis quam maiores; cum tamen amore appreciative illos ut in plurimum primogenitis postponent, aegrius enim paterentur horum iacturam quam illorum defectum» \ ita «qui precibus et contemplatione amici omittit furtum vel adulterium, quod non omitteret ex amore Dei..., ille diligit plus amicum quam Deum intensive, quia plus movetur seu plura facit intuitu illius, sed non (necessario) plus diligit appreciative, quia non ponit finem ultimum in amico, deserendo Deum» 2.

¹ Salmaticenses *Cursus Theol.*, tr. de caritate, dlsp. 3, n. 7; ed. Palmé, XII. p. 94.

² Ioa. A. S. Thomas, in *I-II*, de ultimo fine, q. 1, disp. 1, a. 7, nn 24 et 31.—Iure tamen Van Roey (*De virtute caritatis*, p. 319. ed. 1929) animadvertit fieri posse (per accidens) quod maior intensio et maior appre-

C. V.—Plures audit Dometius paenitentes qui de in- 254
observantia praecepti dilectionis Dei se reos pronuntiant.
Ille autem nescit num eos arguat de peccato mortali.

Sol.—Respondet Berardi: «Qui iam habitualiter dili-
gunt Deum amore filiali, et proinde valde cordi habent,
ne per peccatum mortale illius amicitiam amittant, circa
huius praecepti observantiam nullum scrupulum habere
debent, ut per se patet. Qui vero, vel in peccatis morta-
libus vitam degunt, vel ex solo damnationis timore a
peccatis abstinent, et consequenter cum sola attritione
confiteri solent, circa praeceptum istud valde deficere
possunt... Cum tamen (nisi agatur de negligentia enor-
mi, v. gr., per annos) in theoria praecise determinari
nequeat quando actus caritatis perfectae sub gravi eli-
ciendus sit; ideo etiam in praxi confessarius non de fa-
cili rem determinabit, sed potius, exhortationibus dum-
taxat utendo, curabit ut paenitentes de hoc ipso actu
eliciendo valde solliciti sint» \

C. VI.—Se Bellinus accusat quod odit poenas sibi di- 255
vinitus illatas. An propterea peccat odio in Deum?

Sol.—Ad rem D. Thomas: «Non quicumque odit poe-
nas odit Deum, poenarum auctorem: nam multi odiunt
poenas qui tamen patienter eas ferunt ex reverentia di-
vinae iustitiae. Unde et Augustinus dicit, X *Confess.*, quod
mala poenalia Deus *tolerare iubet, non amari*. Sed pro-
rumpere in odium Dei punientis, hoc est habere odio
ipsam Dei iustitiam» 2.

ciatio separabiles non sint in eodem amore, puta si duo obie^{ct}ta amabilia
sunt propter rationes omnino easdem—tunc enim, si unum intensius ama-
tur, signum est quod pluris aestimatur—: Insuper inordinatum esse, ac
proinde peccatum, sic *eligere* inter Deum et creaturam ut creatura inten-
sius ametur—nam tunc aestimaretur creatura amore magis intensive *dig-
na* quam Creator.

i Berardi, *Praxis confessoriorum*. I, 195. ed. 1887.

s S. Thomas, *l. c.*, 34, 2, 3m.

II. DILECTIO NOSTRI

Doctrina.

256 Sicut videre hominem, equum, album, nigrum, etc., ad unam pertinet visivam facultatem, et sicut unius virtutis fidei est credere Deum et credere cuncta quae ex divina revelatione innotescunt; sic eiusdem est caritatis diligere Deum et diligere divinam bonitatem et diligere illa omnia quae, cum sint Dei, faciunt ad bonitatem Eius aut bonitatem Eius participant. In his autem nosipsi, quippe qui sumus bonum amici Dei, participes aut capaces sanctificantis gratiae atque potentes unam cum Illo habere communem beatitudinem. De cetero, iubemur proximum diligere *sicut nos* (Mt., 22, 39), et exemplar praecedit exemplatum.

257 In nobis autem oportet praeprimis diligamus animam, quae ipsamet est particeps divinae gratiae et gloriae: eique propterea velimus et curemus supernaturalem perfectionem, quapropter necessaria ad salutem; immo vel perfectiones naturales, uti instructionem, scientiam, habitus virtuosos.

Hinc acedia sive tristitia de bono divino quod est in nobis—seu in sublecto contristato—, v. gr., de beatitudine quatenus laboriose obtinenda, de amicitia Dei quatenus operose conservanda, de vocatione ad fidem qua strictius obligamur ad ducendam vitam honestam—nominat peccatum speciale—, quoniam bonum divinum, collatum vel conferendum nobis, est dignum gaudio—idque mortale ex genere—nam opponitur secundum propriam rationem caritati, quae facit nos gaudere de bono Dei in nobis—. Continetur tamen intra terminos peccati venialis tum ob actus indeliberationem—quia non est plene delibe-

rata—, tum ex parte materiae—quando versatur circa
iiona quae non sunt necessaria ad salutem.

Tenemur insuper ex caritate corpus nostrum dilige- 258
re, non quidem ut dicit culpa vel poenae corruptionem
innuitque peccatum vel incitamentum ad peccandum,
quoniam sub hac ratione nos a Deo retrahit et ab asse-
cutione beatitudinis; bene tamen secundum suam na-
turam, cum sit a Deo, faciens igitur ad honorem Dei.
cuius est et templum; sit quoque nobis instrumentum
utile in adeptionem beatitudinis; quapropter et amari
potest ut bonum quod volumus amico Deo atque nobis,
amicis Dei. Immo et potest amari tamquam amicus cui
bonum volumus, naturale et supernaturale, beatitudinis
aeternae cum sit capax, utpote in quod redundabit glo-
ria animae, ideoque ipsum ex caritate diligimus prout
diligimus nos.

Quapropter tenemur ipsi velle et conservare vitam,
integritatem et salutem; ipsum non interimere, muti-
lare, iniuriis, absque causa proportionata, exponere.

Obligatio sanitatis servandae atque recuperandae se 259
extendit ad *ordinaria* media—his qui non uteretur, sibi
necem inferret—; huiusmodi sunt: cibum sumere ne-
cessarium, medicum advocare in aegritudine, operatio-
nes quasdam chirurgicas subire quae—uti appendicis,
herniae, etc.—ob perfectionem scientiae medicae, hodie
sine magno dolore perficiuntur. Non tamen communiter
se extendit ad media *extraordinaria*—his enim qui non
utitur, mortem potius permittit quam sibi inferat—; ha-
bentur eius generis operationes quae cruciatus multos
important, remedia quae—pro aegroti condicione—mag-
nas expensas exigunt—puta longinquum iter in aërem
salubriorem—aut quae magnum malum videntur—sicut
amputatio atriisque femoris—. Dicimus *communiter*.

nam si alicuius vita foret familiae vel societati necessaria, extraordinaria quoque remedia urgerent adhibenda; sic «mater debet media extraordinaria ad vitam conservandam adhibere, si secus eius filii remanerent orphan! in magnis angustiis versantes» \

Casus primus.

260 Cum peculiarem professionem non haberet, Oliverius competitioni automotoriae sese dedit et tantum progressum fecit ut inter meliores cursores cuiusdam praeclarae Italicae societatis adnumeratus sit et optimam fortunam sit consecutus.

In quadam autem competitione ob nimiam velocitatem exiit ex itinere et nonnisi casu, uti videtur, mortem effugit.

Ideo parochum adit a quo petit num haec lusoria exercitia licite prosequi possit.

Solutio

261 Supponimus ex causa dumtaxat proportionate gravi licere se vel alium exponere mortis periculo²; causam

» Prümmer, *Th. Mor.*, I, 567, ed. 1931.

» «Graviter peccant illi qui levibus de causis se coniciunt in discrimen mortis, quales sunt funambuli, in altissimis locis super funem deambulantes, corpusque volutantes, et alii similes circulatores; nisi viribus et dexteritate adeo polleant, ut prudentis arbitrio non sit probabile periculum mortis» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, η. 567, ed. 1939).

«E' da cscludere subito una delle cause scusanti più comunemente addotte: il preteso beneficio per la salute e per la perfezione organica. E' infatti assurdo voler cercare un vantaggio per la sanità del corpo in esercizi che ne possono compromettere la intégrité e perfino causare la morte» (Roberti, *Dizionario di teol. inorale*, p. 1395).

«Unice lucri faciendi gratia, probabili mortis periculo se exponere.

igitur graviolem exigi quo periculum est maioris mali—ad exponendam scilicet vitam plurium quam vitam unius—et quo periculum imminet propinquius—ad exponendum se vel alium morti certae quam morti probabili.

Tres recensent Auctores rationes sufficientes:

a) Bonum virtutis. Sic laudatur qui cum magno periculo vitae propriae se dat praecipitem in flumen ad salvandam vitam periclitantis; ille, a fortiori, qui sacramenta administrat moribundis peste infectis cum periculo proximo contagii.

b) Necessitatem artis exercendae. «Non peccant operarii qui super aedificiorum tecta ascendunt et aliis periculis, ubi opus sit, sese exponunt; vel artifices qui vitrum conflando aliasve artes exercendo sive ad propriam sustentationem, sive ad progressum rei industrialis vitam breviorcm reddunt, vel periculo mortis se exponunt» x.

c) Bonum publicum seu commune. «Navigatio etiam pro tempore periculoso est utilis bono comnyni. Ex communicatione enim nationum et provinciarum Respublica magna commoda accipit et in pace et in bello. Quare si propter periculum tempestatum homines deterrerentur a navigatione, fieret magna iactura boni publici... Et eodem modo de exercitiis militaribus dicendum: omnino enim necessarium est Reipublicae milites habere

grave peccatum est, ex. gr. feras excitando, exercitia gymnastica valde periculosa obeundo, ieiunium ex sponsione diutissime protrahendo. Quod si periculum istud ob artem vel experientiam satis removeatur, de peccato gravi non constat» (Genicot, *Th. Mor.*, I. 362. ed. 1931).

«Vita est maius bonum quam bona temporalia, inter quae gloria, honor et fama reponuntur. Cuncta enim quae habet homo, pro anima sua dabit: omnia siquidem illa ordinantur ad vitam humanam sicut ad finem .. Unde non solum qui se interficiunt, sed qui sine alio titulo ponunt vitam in magno periculo propter gloriam humanam, graviter delinquant» (Victoria, rei. *De homicidio*, n. 36, p. 420, ed. 1765).

l Fanfani, *Th. Mor.*, II, 225.

ad defendendum patriam, qui sine militari exercitio inutiles bello essent... Si non possent milites exerceri sine etiam magno et gravi periculo, non ideo omittenda essent bellica exercitia» \

262 Quae rationes dicuntur sufficientes ubi periculum instat proximum, sufficiunt a fortiori ubi periculum remotum fiat. Nam ars, peritia, consuetudo idipsum tutum reddunt quod rusticis, ignaris et tironibus est revera formidolosum: sic circensibus hodiernis auspicatus exitus quotidianus, infelix, e contrario, rarissimus.

Sed cum agitur de periculo definiendo, num sit proximum aut remotum, sententiam ferre spectat ad peritos sive profesionales: si hi ludentem pronuntiant inconsultum vel temerarium, ludus est ei dicendus obnoxius proximo periculo; alias, periculo remoto (I, 120).

263 Ad casum ergo propositum devenientes:

Velocitas, quae causa affertur mortis certae periculi, potest vocari *nimia* ad opinionem vulgi atque ad sententiam peritorum. Si ad unius vulgi opinamentum, Oliverius non est damnandus de excessiva seu temeraria velocitate: iam enim novimus plura, profanorum oculis et viribus difficillima, levia videri esseque peritis

An quoque ad peritorum sententiam? Sed id non facile praesumitur. Primo, ob locum eminentem quem Oliverius occupat: signatur enim deditus, ideoque assuefactus, competitioni automotoriae talemque in ea procursum peregisse ut inter meliores cursores cuiusdam praeclarae italicae societatis adnumeratus sit. Secundo, propter fiduciam quam praeclara haec societas in ipso met reposuit, proculdubio non temeritate sed peritia suffultam. Tertio, denique, quod huiusmodi competitiones non soleant peragi nisi adhibitis cautelis adhibendis:

i Vitoria, l. c., n. 32, p. 418.

agebatur enim competitio inter societates industriales eximias, quarum interest maxime machinam exhibere omnibus numeris absolutam; et agebatur cursor magni nominis et copiosae pecuniae, qui non facile discrimini committit vitam vel nomen. Si his omnibus non obstantibus competitio, de qua sermo, extremo non vacavit periculo, non ideo constat neglectas fuisse cautiones quas prudentia tunc temporis dictabat adhibendas; quantumvis constet iam illas insufficientes, in posterum complendas (I, H7n).

Quod ad futurum attinet, si competitiones huiusce- 264
modi necessariae veniunt—prout plerique proclamant—ad promotionem nationalis industriae vel commercii, Oliverius prosequi poterit haec lusoria exercitia quandiu a peritis retinetur prudens cursor; immo expertus periculum, cautior abhinc procedet.

A l i i c a s u s .

C. II.—Adelbertus nonnumquam dolet se fuisse crea- 265
tum, destinatum in caelestem patriam, vocatum ad fidem et Ecclesiam catholicam, neque raro mallet esse bestiam; peccavitne graviter contra caritatem erga se?

Sol.—Affirmative quandiu haec omnia fuerunt deliberata; nam tristatus est de donis Dei, naturalibus aut supernaturalibus, necessariis ipsi ad salutem.

C. III.—Plautila, monialis, se confessario accusat 266
quod tristatur interdum choralis officio assistens atque missae conventuali. Peccavitne acedia?

Sol.—Vitoria respondet «Ego sum in choro cum te-
neor; tristor. Non pecco, si ego non habeam istam nolitionem: *nolo esse in choro, nolo audire missam, vel nisi habeam nolitionem condicionalem, jiollem esse in choro nisi propter verecundiam hominum.* Quantum-

cumque quis tristetur audire missam, si tamen audit, non peccat peccato accidiae, nisi habeat illam nolitionem absolutam: *nolo audire aut nollem nisi propter homines*

267 c. IV.—Wenefrida, timoratae conscientiae puella, omnia quidem implet religionis officia. At cum parentes eam praeterea cogant ad plura alia devotionis et virtutum peragenda opera, ad quae non tenetur, nonnihil ipsa exinde contristatur. Peccatne acedia, contra caritatem sibi debitam?

Sol.—Respondet D. Thomas: «Acedia non est recessus mentalis a quocumque spirituali bono, sed a bono divino, cui oportet mentem inhaerere ex necessitate. Unde si quis contristetur de hoc quod aliquis cogit eum implere opera virtutis quae facere non tenetur, non est peccatum acediae; sed quando contristatur in his quae ei imminent facienda propter Deum» 2.

268 c. V.—Se Eugenianus confessario accusat quod excessit in cibo usque ad indigestionem et in potu usque ad perfectam ebrietatem. Peccavitne graviter contra caritatem erga se?

Sol.—«Excessus in cibo et potu quibus sanitas laeditur quidem, sed non proxime et notabiliter, etiamsi graves sint contra temperantiam, pietati seu caritati ad seipsum non graviter adversantur». Ita Vermeersch 3.

269 C. VI.—Onesimus interrogat theologum de morphii aliorumque narcoticorum usu, num sit peccatum contra caritatem quam quisque sibi debet.

Sol.—Respondet Merkelbach: «Usus transitorius et adeo exiguus ut alium effectum non producat nisi τεε-

i Vitoria, in IMI, 35, 1, η. 4. ed. Beltrân de Heredia.

' S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 35, 3, 2m.

> Vermeersch, *Th. Mot.*, II, 324, ed. 1928.

taurationem virium et pacationem nervorum, licitus est. Usus in maiore quantitate vel frequentia, sine iusta causa vel ad solam voluptatem vel sedandam narcoticorum cupidinem adhibitus, est peccatum grave si notabile sanitatis et vitae detrimentum inde sequi *possit* seu *probabiliter* sequatur; veniale, si detrimentum sanitatis vel abbreviatio vitae *certo* non sit notabilis; est autem licitus in quantitate decrescente pro illo qui tam inveteratam contraxerit usus consuetudinem, v. gr., opii, ut ab eo abstinere non possit absque gravi detrimento salutis» 1.

C. VIII.—Callista virgo subire debet medici in secretioribus partibus curationem ad salvandam vitam; ipsa tamen medici curationem hanc prae morte abhorret. Teneturne eam subire? 270

Sol.—Quandiu ei, propter verecundiam, hoc gravissimum foret, negative, nam extraordinarium agitur remedium. Si tamen id unum abhorreret, attrectari videlicet a viro, teneretur sinere ut ab alia femina curaretur. «Satius tamen videtur personas istas ad rationabile sui imperium conformare, ne huiusmodi terroribus percellantur» 13

C. VIII.—Aurelianus, religiosus, exemplo Sanctorum concitatus qui, corpori indicentes bellum perpetuum, ieiuniis atque paenitentiis ipsum afflixerant, eousque cibo parcat ut saluti nocumentum afferat et inhabilis reddatur ad religionis munera obeunda. Acriter a superiore reprehensus, sententiam postulat confessarii. 271

1 Merkelbach, *Quaestiones Pastorales*, VI, p. 73, ed. 1935.—Quoad ultimam partem adest Instr. S. Officii, diei 29 dec. 1891: «Eiusdem (opii) usum permitti posse iis qui eidem sese assuefecerint, quique ab illo abstinere omnino non possint sine mortis periculo vel gravi detrimento» (*Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 1776, ed. 1907).

3 Vermeersch, *l. c.*

Sol.—Expresse D. Thomas: «Medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, sed *secundum rationem rectam*, ut dicitur in II *Ethic*. Ratio autem iudicat quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo quam sibi competeret secundum statum communem: sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda. Et multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda et bona prosequenda. Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit: quia, ut Hieronymus dicit, *non differt utrum magno vel parvo tempore te interimas, et quod de rapina holocaustum offert qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi vel somni penuria immoderate corpus affligit*. Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit ut homo reddatur impotens ad debita opera peragenda: unde dicit Hieronymus, *quod rationalis homo dignitatem amittit qui ieiunium caritati vel vigiliis sensus integritati praefert* l.

272 C. IX.—Eatenus Marianus, ex adverso, diligit corpus suum ut, quamvis plane noverit carnem concupiscere adversus spiritum (Gal. 5, 17), fovet attamen corpus cum detrimento animae.

Sol.—Peccat Marianus contra caritatem erga seipsum, nam cum anima principaliter—per se particeps gratiae et gloriae—, corpus vero non nisi secundario sit ex caritate diligendum, existit caritati contrarius amor quo quis diligit corpus—partem inferiorem—in detrimentum animae—superioris partis.

Huc e volumine superiore Casus accedant: Aeronauta timens patriam prodere si in terram descendat inimicorum (I, 129-31); Narcotica pro operatione chirurgi-

1 S. Thomas, l. c., 147, 1, 2m.

ca; euthanasia (I, 170); *Religiosa quae paenitet de voto* (I, 261 s); *Tristatus de bono peracto* (I, 269); *Mortem sibi desiderare* (I, 276); *Ignorans malitiam abbreviationis vitae* (I, 323).

III. DILECTIO PROXIMI

Doctrina.

Prout nos sumus bonum Dei et participes, saltem ca- 273
paces, gratiae divinae et gloriae (256), sic quoque et proximus; quem propterea diligamus ex caritate oportet. Unde Dominus, post recitatum primum et maximum mandatum de dilectione Dei, adiecit: «Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum» (Mt. 22, 39); et Ioannes: «Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum» (I Ioa 4, 21).

Quae proximis caritas debetur oportet sit affectiva seu interna simul atque effectiva seu externa (244), ita videlicet ut proximis velimus bonum—de eorum propterea bono gaudeamus, de eorum malo tristemur—et bonum ipsis faciamus. De hac effectiva caritate, Ioannes expressis verbis: «Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate» (I Ioa. 3, 18). Quoad caritatem vero affectivam duplex exstat damnata propositio: «Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos »(Denz. 1160 s.). Et de actu quidem dilectionis externo sermo specialis infra, occasione correctionis fraternae et eleemosynae (330 ss., 316 ss.). Actus autem internus «eliciendus est, sicut actus caritatis erga Deum, saepius in vita, quia ambo regulis iisdem subiacent. Sed praeecepto iam satisfacit qui preces fun-

dit pro omnibus, v. gr., recitando orationem dominicam. Item, hi actus caritatis bene exercentur occasione vitandi odium, aut largiendi eleemosynam» 1

274 Haec caritas ad proximum oportet insuper sit universalis: neminem excludamus atque parati simus ut in casu necessitatis feramur particulariter ad quemlibet. Debemus igitur amare, interne atque externe, peccatores, non quatenus peccatores—nam qua tales adversantur Deo et ponunt obstaculum participationi bonitatis Eius—, verum quatenus homines—nam sunt bonum amici Dei et capaces existunt gratiae et gloriae, quibus communicent nobiscum. Quapropter non licet desiderare peccatori aeternam damnationem, malumve morale—cum non sint facienda mala ut eveniant bona—, neque malum physicum sub ratione mali (I, 270).

275 Mensura autem seu regula dilectionis ad proximum verbo signatur *sicut teipsum*, id est *similiter ac te*. «Et hoc tripliciter. Primo quidem, ex parte finis: ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut et seipsum propter Deum debet diligere; ut sic sit dilectio proximi *sancta*. Secundo, ex parte regulae dilectionis: ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo sed solum in bonis, sicut et suae voluntati satisfacere debet homo solum in bonis; ut sic sit dilectio proximi *iusta*. Tertio, ex parte rationis dilectionis: ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum, sicut vult bonum sibi ipsi, ut sic dilectio proximi sit *vera*. Nam cum aliquis diligat proximum propter suam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum» 2.

» Marc. Inst. Mor., I, 485, ed. 1927.

* S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 44, 7.

Non igitur tenemur proximum caritate diligere plus quam nos. Quinimmo nec aequaliter. «Homo seipsum diligit ex caritate secundum rationem qua est particeps praedicti boni (divini); proximus autem diligitur secundum rationem societatis in isto bono. Consociatio autem est ratio dilectionis secundum quandam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut unitas potior est quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum est potior ratio diligendi quam quod alius associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex caritate debet magis seipsum diligere quam proximum. Et huius signum est quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato» \

Appreciative (245) igitur plus debemus animam nostram diligere quam proximi; animam autem proximi—secundum quam proximus est plene atque directe beatitudinis socius nobiscum—quam corpus proprium—quippe quod beatitudinem participabit ex redundantia tantum—; proximi vitam prae externis bonis nostris²; temporale bonum commune prae individual! ; et ideo vitam proximi communitati necessarii prae vita nostra. 276

Secundum intensionem (244) possumus alios plus quam nos diligere, si etenim intensior Dei dilectio nullo praecepto subest (ib.), a fortiori neque dilectio nostri.

1 S. Thomas, *l. c.*, q. 26, 8. 4.

2 Cf. S. Thomam, *l. c.*, 26, 5; 32, 5s.

3 «Caritas enim, de qua scriptum est, quod non quaerit quae sua sunt, sic intellegitur, quia communia propriis non propria communibus antenonit» (S. Augustinus, *Regula*, PL., 33. 963).—«Apparet etiam hoc in politicis virtutibus, secundum quas cives pro bono communi et dispendia propriarum rerum et personarum interdum sustinent» (S. Thomas, *l. c.* 26. 3).—«Unde in laudem Romanorum dixit Valerius Maximus quod «malebant esse pauperes in divite imperio quam divites in paupere imperio» (Id., *ib.*, 47, 10, 2m).

Immo et secundum obiectum (ib.) nam licite non defendimus vitam propriam cum occisione iniusti aggressoris et naturali instinctu «omnes homines filios suos ex hac vita migrando praecedere volunt, non sequi» l.

Contrarium proximi dilectioni est odium proximi; de quo tamen opportunior sermo dum agemus de dilectione inimicorum (287 ss).

Casus primus.

ff

277 Lucidus vult a confessario illuminari quomodo possit homo ac debeat proximos diligere affectu et opere sicut seipsum ex praecepto positivo divino, cum quisque ex iure naturali atque ratione duce sentiat semetipsum magis quam proximum diligere debere, est enim philosophorum commune axioma «Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium».

Quid confessarius?

Solutio

278 Confessarius Lucidum illuminet quippe qui tenebris circumfusus praeceptum caritatis cum naturali lege atque instinctu componere non valet.

Praemittat naturalem quancumque dilectionem non esse inordinatam—cum sit ab Auctore naturae—, nec ideo contrariam caritati—nam gratia, dum perficit naturam, hanc non destruit.

Ostendat ipsi caritatis ordinem esse rationi consentaneum nam illud est magis diligendum quod plenior obtinet rationem diligibilis, porro secundum animam proximus est directe ac plene beatitudinis nobis-

cum socius, dum corpus nonnisi ex redundantia beatitudinem nostram participat; bona externa insuper esse incunctanter vitae postponenda. Naturaliter etiam «semper commune bonum est magis amabile unicuique quam proprium bonum: sicut etiam ipsi parti est magis amabile bonum totius quam bonum partiale sui ipsius» † Denique, ratio dictat ut subveniamus proximo quoties id nobis est possibile absque maiori vel pari nostro incommodo.

Quoad axioma notissimum «amabile quidem bonum, unicuique autem proprium», reponat confessarius cum Caietano² quod bonum contingit esse proprium multis modis, scilicet aut quia propter ipsum, aut e contra; bonum totius est bonum partis, nec tamen propter partem; ideo pars amat bonum totius tamquam proprium, non quasi referat bonum totius in seipsam partem, sed e contra, quia refert seipsam in bonum totius. 279

Si forte Lucidus opponat corpus nostrum esse animae nostrae prae proximo propinquius, ideoque nos debere diligere corpus nostrum magis quam proximum, expeditum habeat confessarius responsum D. Thomae: «Corpus nostrum est propinquius animae nostrae quam proximus quantum ad constitutionem propriae naturae. Sed quantum ad participationem beatitudinis. maior est

i S. Thomas, *l. c.*, 26. 4. 3m.—«Hoc ipsum est inconsonum rationi et est condemnare industriam divinam, dicere quod Deus, cum membra corporis fecerit solum propter bonum totius et non propter se. tamen membris dederit inclinationem contrariam bono totius, quasi vero pedes sibi et non homini ambularent, et aures sibi et non homini audirent, et oculi, etc.» (Victoria, rei. *De homicidio*, n. 10, p. 403. ed. 1765).—Ad objectionem Scoti, secundum quem pars non se exponit pro toto, sed exponitur a toto pro toto, respondet Caietanus (*in I. 60 5*, nn. 4 s.) quod, dummodo exponatur naturaliter, adhuc sequitur habere maiorem inclinationem in bonum totius; nec ideo exponitur ut salvetur ipsa pars in toto, sed ut salvetur totum, etiam cum amissione psrtis; natura enim atque substantia partis est primo propter totum atque totius.

» Caietanus, *in II-II*, 26, 3, n. 3.

consociatio animae proximi ad animam nostram quam etiam corporis nostri» x.

Ubi denique Lucidus instaret nos magnam difficultatem experiri in exponenda vita et exponendis bonis externis pro anima et vita proximi, quapropter ad huiusmodi expositionem nullatenus inclinari naturali pondere seu instinctu, confessarius admittat antecedens, deneget vero consequens. Quoniam vel individuus homo, licet plus amet vitam suam quam membrum suum, magnam difficultatem experitur ut permitat membrum secari aut uri in salutem totius; immo, quamvis mercator faciat pluris vitam quam merces suas, tristitiam et difficultatem experitur in proiciendo merces tempore naufragii vitae servandae igitur².

A l i i c a s u s .

280 C. II.—Interrogatus a confessario de proximi dilectione, Ladislaus respondet se quidem proximos amare aut propterea quod Deus id mandavit, aut propter beneficia ab ipsismet suscepta, aut propter naturales eorum qualitates aut propter imaginem naturalem Dei in eis impressam. Confessarius hunc amorem improbat, non quia malum, sed quoniam omnino insufficientem.

Sol.—Recte confessarius, nam tenemur amare proximum ex caritate; eum autem amare quia Deus mandavit est actus oboedientiae; ob signatas ceteras rationes ,est amor naturalis. Ita Melkelbach

281 C. III.—Priscillianus eatenus, ut putat, caritate fertur in quendam e sibi proximis ut ei velit tantam gra-

• S. Thomas. *l. c.* a. 5, 2m.

' Ita Vitoria, *l. c.*, pp. 403 s.

» Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 879, ed. 3.

tiani et gloriam quantam vult sibi; immo gratiam et gloriam superiorem. Agitne licite?

Sol.—Ad haec Vitoria: «Non oportet quod ex parte obiecti ego maius bonum velim mihi quam proximo; et maxime de gloria, possum eam aequaliter omnibus desiderare»¹. Fanfani quoque: «Licitum esse potest, absolute loquendo, maiora bona spiritualia proximo desiderare quam sibi; e. g., quod aliquis sit sanctus plus quam nosmetipsi: licet enim caritas nos inclinet ad maiora bona nobismetipsis quam aliis optare, tamen id praeceptum non est; et ideo pro libitu ea sibi vel aliis quilibet desiderare potest»². E contra Merbelbach: «Caritas semper inclinatur ad magis desiderandum nobis gratiam et gloriam, et quidem maiorem quam proximo, nec unquam licitum est sibi desiderare minorem»³.

C. IV.—Facundus sciscitatur a theologo num liceat 282 propter proximum sacrificare bonum proprium spirituale; et quatenus affirmative, num ad id possit subditus compelli a superiore.

Sol.—Si agitur de bono spirituali proprio necessario, negative ad utrumque. Si de bono spirituali proprio supererogatorio, cum distinctione: si de bono essentiali—augmento caritatis, gratiae, gloriae—, affirmative quidem ad primum—quoniam agitur bonum liberum—, negative vero ad secundum—quoniam implicat quod homo proficiat in caritate et teneatur aliud facere in quo minus proficiat, prouti Banez⁴ loquitur—; si agitur de

¹ Vitoria, in *II-II*, 26, 2. n. 13. ed. Beltrini de Heredia.

« Fanfani. *Th. Mor.*, II, 101.—«Liceret quidem, stricte loquendo, optare maiora bona spiritualia proximo quam sibi, quia sufficit ut sibi simpliciter beatitudo optetur; attamen id certo ad perfectionem caritatis non pertinet, quia non est medium ordinatum ad maius bonum divinum promovendum» (Van Roey, *De virtute caritatis*, p. 350, ed. 1929).

² Merkelbach, *l. c.*, n. 907.

* B&EZ, in *II-II*, q. 26, a. 4; coi. 667, ed. 1586.

bono instrumentali, affirmative ad utrumque: sic a religioso amplectendo statu prohibentur tum clerici, quorum discessui Ordinarius loci contradiceret quoniam cessuro in animarum nocumentum grave (can 542, n. 2), tum filii qui parentibus in necessitate gravi constitutis opitulari debent (ib.); sic et pastores debent interdum orationem et contemplationem intermittere ut saluti vacent suarum ovium.

283 C. V.—Num mater teneatur periculosissimam subire operationem ut proles viva prodeat quae baptizari possit?

Sol.—Affirmative: bonum enim animae prolis praeferendum est vita propria. «Attamen in praxi mater aliquando monenda quidem est ut hanc operationem permittat, fere numquam autem illi imponenda est stricta obligatio. Etenim: 1. non certo constat infantem fore adhuc vivum post operationem; 2. validus baptismus cum morali certitudine administrari potest, ope alicuius instrumenti, infanti in utero materno exsistenti» \

284 C. VI.—Utrum, parrocho deficiente, cui obligatio incumbit ex officio, quilibet sacerdos teneatur administrare sacramenta peste laborantibus, quorum plures in mortali existunt nec actus contritionis sunt capaces?

Sol.—Affirmative, quod salus animarum prae propria sit vita diligenda. «Adverte tamen quod, ut haec obligatio Sacramenta administrandi etiam cum dispendio vitae propriae urgeat, *tria simul* requiruntur: a) ut necessitas proximi sit certa; b) sit moraliter certa etiam spes salvandi ipsum proximum; c) ut ex adimpletione huius obligationis non sequantur maiora mala, e. g., si,

» PRÜMMER, *Th. Mor.*, I. 583. ed. 1931.

deficiente parochi, plurium aliorum salus in periculum damnationis adduceretur» x.

C. VII.—An iniusto vitae nostrae aggressori parcere teneamur ne, ipsum in defensionem propriam occidentes, in peccato gravi decedat? 285

Sol.—Negative, nam ipse libere se posuit in hac extrema necessitate spirituali.

C. VIII.—Calpurnia, numerosae prolis mater, exoptat ut filiulus recens natus, et alius quinquennis surdus et mutus, et tertius novennis utroque pede claudus, morte corripiantur ut vita meliori in caelesti patria fruantur. Item votum facit, ut filia nubilis, sed inupta ob nimiam paupertatem et deformitatem, excedat e vivis, ne periculis peccandi obnoxia remaneat; item ut maritus, sordidus senex, querulus et infirmus, in pace quiescat. 286

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Non peccavit Calpurnia in prioribus votis, scilicet quoad filium recens natum, filium quinquennem et novennem, neque quoad filiam, quia non ducitur fine inordinato, et id quod melius est filiis exoptat. Quare caritatis ordinem minime laesit, neque contra virtutem pietatis ullatenus egit. Peccavit graviter contra caritatem et pietatem, mortem mariti, licet senis, queruli et sordidi, desiderando, quia ex perverso fine cupivit eius mortem, scilicet ex taedio, impatientia, vel odio in maritum, etc» 2.

› Fanfani, *l. c.*, IV, 32.—Qui lure subdit: «Etiam advertite, quod talis obligatio Sacramenta administrandi etiam cum periculo vitae restringitur ad so'a Sacramenta *absolute necessaria*, Baptismus nempe et Paenitentiam; quamvis deceat quam maxime ut, parochus praecipue, paratum se exhibeat etiam ad alia Sacramenta non necessaria, e. g. Viaticum et Extremam Unctionem, conferenda; imo parochus, et in genere pastor animarum stricte obligatur ad Extremam Unctionem conferendam in casu quo alia Sacramenta necessaria, e. g. Confessio, non amplius administrari possint, puta quia moribundus est sensibus destitutus» (*l. c.*).

3 Ferreres, *Casus Conse.*, I, 223, cd. 1926.

Huc e volumine superiore Casus accedant: Abstinentes ab auxilio ferendo ei qui in aquis periclitabatur et illis qui inter se rixabantur (I, 123); De montium ascensione periculosa (I, 162-6); Defensio cruenta vitae et bonorum (I, 169); Optare peccatori damnationem aeternam (I, 275); Optare mortem patris ad haereditatem adeundam, vel coniugis ad novum matrimonium (I, 277); Optare mortem mariti asperi, filiaeve deformis (I, 278); Tristari de vita alicuius, de eius morte gaudere, eamve desiderio inefficaci velle ob emolumentum temporale; optare malefactori carcerem et de incarceratione gaudere (I, 279); Tristari quod indigni honorentur, quod improbi praevaleant et ditescant (I, 280).

IV. DILECTIO INIMICORUM

Doctrina.

287 Inimici dicuntur qui nos vel nostros odio habent aut iniuste nobis vel nostris malum inflixerunt, saltem appetunt \

Et si quidem considerentur formaliter ut inimici, diligendi non sunt—diligentur enim quatenus peccatores—, at odio haberi possunt, odio scilicet abominationis seu qualitatis, quo aversamur malum nostrum in ipsis—sic displicet sobrio ebrietas proximi—: odium namque huiusmodi, praeterquam naturale², est mo-

¹ Inimicus nullatenus dicendus est qui dumtaxat origine, defectu naturali vel quadam antipathia est nobis alienus vel aversus. Huic propterea a fortiori, dilectio ac dilectionis signa sunt danda quae non erunt ad inimicum neglegenda.

² «Unaquaeque res naturaliter odio habet id quod est sibi contrarium In quantum est sibi contrarium. Inimici autem sunt nobis contrarii in quantum sunt inimici. Unde hoc debemus in eis odio habere: debet enim nobis displicere quod nobis inimici sunt» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 25, 8, 2m; cf. 34, 3).

raliter bonum quandiu agitur qualitas vere mala et servantur mensura debita et debitus ordo caritatis; erit, contra, peccatum mortale aut veniale pro maiori aut minori bonitate qualitatis, pro maiori aut minori excessu, pro maiori minorive deordinatione l.

Si considerentur tamen quatenus proximi seu quatenus homines, gratiae et gloriae capaces, inimici sunt ex caritate diligendi; unde legimus: «Diligite inimicos vestros» (Mt. 5, 44). Non sunt igitur odio habendi, odio videlicet inimicitiae seu malevolentiae—quo aversamur alium secundum se, cui propterea malum optamus, de eius malo gaudemus, de eius tristamur bono—, quinimmo diiectione prosequendi sunt tum affectiva seu interna tum externa seu effectiva (273 s).

Quoniam diligendi sunt ut proximi seu homines, interne diligendi sunt *in communi*, prouti ceteri proximorum seu hominum; ergo non licet inimicum excludere ab orationibus quas pro omnibus hominibus effundimus; oportet insuper ut illi positive velimus bonum quod hominibus cunctis volumus. Quin tamen teneamur inimicos *in speciali* diligere, seu exercere erga inimicos dilectionis actum specialem, v. gr.. orare particulariter pro ipsis vel ipsis bonum velle quod quibusdam proximorum volumus. Sed quoniam casus potest contingere in quo teneamur ad inimicum in particulari diligendum, dilectio inimici in speciali, prout in animi praeparatione, cadit indubie sub praecepto.

Cum dilectionis exteriora signa ex interna dilectio-

l «Ochum abominationis (proximi) raro est mortale; quia simplex displicentia personae creatae multis defectibus sublectae et propter illos, sine mali imprecatione, non videtur tanta inordinatio, nisi talis sit ut quis recuset veniam petenti, vel communia caritatis officia, aut nisi sit causa gravis scandali, vel duret dum urget praeceptum diligendi proximum» (Bh.luart, *Summa S. Thomae*, tr. *De caritate*, diss. 7, art. 1.).

ne procedant, cui igitur proportionantur, debemus inimicis *signa communia* dilectionis; non vero, extra casum necessitatis—nisi in animi praeparatione—*signa specialia*.

Signa communia, *per se* igitur vel inimicis debita, sunt illa omnia quae omnibus hominibus, determinatae saltem condicionis, caritas postulat exhibenda, v. gr., omnibus cognatis, omnibus vicinis, condiscipulis, religionis confratribus. Regulam practicam et facilem tradit Prümmer: «Quoties ex denegato aliquo signo vel beneficio statim concluderet quilibet homo prudens et aequabilis adesse inimicitiam, tunc tale signum est commune et etiam inimico est exhibendum»¹ Non licet ergo excludere inimicum a resalutatione—a salutatione superiorem inimicum—, a responsione ad verbum vel ad litteras, ab emptione mercium quas exposuimus venditioni. A fortiori, non licet inimicum torvis oculis aspicere, cum despectu praeterire; ei, in genere, signum rancoris exhibere. Sed omittere signa communia licet aliquando *per accidens*, ad tempus videlicet et ob iustam causam v. gr., in legitimam punitionem—a superioribus, a parentibus—, ad eius cohibitionem vel emendationem, ad nostri doloris congruam ostensionem, ad ceterorum—v. gr., civium vel filiorum—exemplum.

Signa specialia quae *per se* exhibere inimico non tenemur ea sunt plurima quae ratione amicitiae vel specialis coniunctionis—sanguinis, societatis, gratitudinis, etc.—paucis dumtaxat damus; v. gr., si ad prandium invitamus fratres vel concives, non est cur invitemus inimicum qui neque frater neque concivis est. Urgent tamen ad inimicum specialia signa *per accidens*, in iis videlicet adiuntis in quibus forent omnibus debita, v. gr., si inimicus fame moriatur ubi a convivio fuerit exclusus.

¹ PRÜMMER, *Th. Mor.*, I, 575, ed. 1931.

Odium inimicitiae seu malevolentiae in inimicum est 290
peccatum mortale ex genere. Evadit igitur veniale, non modo ex actus imperfectione, verum etiam propter materiae parvitatem, ut si inimico optamus malum leve.

Dilectionis signa, communia aut specialia denegare inimico cum huic sunt ex caritate debita dicit quoque mortale ex suo genere peccatum., nec modo quandiu ex odio gravi procedit, sed etiam quando grave causai scandalum—sive inimici, id existimantis gravem offensam, sive aliorum, qui id putarent signum gravis odii—; est, e contra, peccatum leve, «si prodat odium leviter offensivum, aut leve scandalum inducat; ut saepe contingit inter eos qui simul convivunt»

Deponenda igitur est aversio, indignatio, odium ad 291
inimicum; huic ergo offensa est dimittenda animo seu interius. Veniam quoque petenti et exterius venia est concedenda—causa nisi intercedat denegandi, per accidens, communia signa, quapropter differendi per aliquod tempus concessionem externam veniae.

Non tenemur attamen redintegrare pristinam amicitiam specialem vel familiaritatem libere assumptam.

Nec tenemur, per se loquedo, restitutionem vel satisfactionem ei remittere pro damno vel iniuria illata, ipsasve, quas ultro deferat, acceptare: nam per se cuique licet ad competentes indices rem referre. Quia tamen in huiusmodi recursu saepius latet aut latere facile aestimatur animus vindictae, generatim congrua satisfactio sponte oblata est acceptanda. Oportet immo vel remittere damni reparationem, si malum quod inimicus reparans subiret longe excederet malum ex omissa reparatione nobis futurum.

Regulariter qui unus offendit, aut prior, aut saltem 292
gravius, is debet (quamprimum moraliter potest) recon-

1 Marc, *Instit. Mor.*, I. 499. cd. 1927.

ciliationem petere vel incipere. «Excipitur, si *certo* praevideatur venia ab altero deneganda, vel si offensor valde superet dignitate aut statu, nisi forsan iniuria sit enormis» l.

Sufficit communiter reconciliationem quaerere indirecte, praeveniando, puta, in honore, salutatione, colloquio. donum elargiendo, obsequium praestando, aliorum utendo intercessione. In gravioribus attamen iniuriis, maxime si id exigat superioris voluntas aut iudicis sententia, venia petenda erit directe seu expresse sive formaliter.

Caritas omnes urget ad reconciliationem facilitandam.

Casus primus.

293 Romulus Ascanii uxorem violentae suae libidini fortiter obsistentem gladio interemit. Veniam Ascanius quidem ex animo dedit, sed, eum e longe prospiciens, iter mutat et alio migrat, idque eo consilio facit, ne dolor exasperetur et odium, quod posuit, recrudescat.

Num Ascanius sit excusandus?

Solutio

294 Ascanius, imprimis, valde laudandus est quod occisori coniugis fidelissimae veniam dedit ex animo. Estne quoque laudandus aut saltem excusandus eius occursum vitans?

Quoad fugam inimici en moralistarum sententiam:

Busembaum, quem S. Alphonsus consecretatur: «Privatus qui, aversus ab alio, fugit illum, si id faciat ut

¹ Merkeibach, *Th. Mor.*, I, 399. ed. 3.

eum suo colloquio et solatio privet, atque ita contristet et male illi sit, est odium inimicitiae et peccatum. Si vero, nihil mali optando, tantum fugias quia tuae naturae est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis, et peccatum, si sit sine ratione; quale non erit, si sit persona valde aspera; modo absit contemptus, scandalum et vindictae cupiditas»

Lehmkuhl: «Declinare diutius inimicum ex industria saepe denotare potest animum odii et vindictae, si procedit ex voluntate vitandi occasiones in quibus communia signa benevolentiae exhibenda sunt. Verum si subest causa iusta ex parte inimici, utpote hominis contentiosi qui, si alterum obviam haberet, iniurias adderet, peccatum non est, sed prudens cautio» 23

Noldin: «Qui, ne occurat inimico, aliorum declinat, etiam citra odium internum, graviter peccat, si inimicus advertit id fieri sui causa et ideo graviter offenditur: nullum est peccatum aut veniale tantum, si id non advertit, aut non curat, et si ex rationabili causa fiat» 3.

Vermeersch denique: «Bene distinguenda est fuga qua quis inimicum evitat ad ipsum contristandam, a fuga quae imperatur permanente quadam aversione sine cupidine vindictae. Prior sola demonstrat odium inimicitiae; altera, si fit sine ratione, peccaminosa quidem est, sed, secluso scandalo, non videtur graviter culpanda» 4.

His ergo consentanee si volumus de Ascanio iudicium 295 promere, distinguamus oportet:

Ascanius non est, certo, excusandus si, postquam maerens Romulus veniam impetravit, satisfactionem

* S. Alphonsus, *Th. Mor.*, II, 30, ed. Gaudé.

3 Lehmkuhl, *Th. Mor.*, I, 783, ed. 1910.

3 Noldin, *Th. Mor.*, II, 83, ed. 1932.

* Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 89, ed. 1928.

dedit et pravum omnem animum deposuit, quae timet ille ex una veniant dispositione propria et agatur fuga studiosa perpetua vel diuturna, offensori aut aliis manifesta: fuga haec etenim habetur a prudentibus latentis odii seu rancoris signum (289).

Iis tamen in adiunctis, Ascanius excusandus est: 4) dum fuga, quantumvis manifesta, Romulo vel aliis, aut a) studiosa sit ad tempus—quam tunc facile habebunt offensor ceterique signum non odii sed doloris intensi—, aut b) naturaliter procedat ex horrore quodam invincibili, ad memoriam criminis atrocissimi spontaneo—quoniam tunc Romulus et alii ipsam nullo negotio interpretantur ab omni malevolentia remotissimam—; et B) dum agatur fuga inconspicua Romulo aliisque, qualem dixeris quam Ascanius arripit a longe prospiciens offensorem—tunc enim qui divertit alio neque occurrenti facit iniuriam nec circumstantibus dat scandalum.

Ascanius, demum, non tantum excusandus verum laudandus est quod sibi et Romulo cavet a peccato si propterea iter mutat et alio migrat quoniam prudenter timet ne dolor exasperetur et odium recrudescat ob provocationem occurrentis, quem, utputa, non piget criminis, quive veniam non petiit, satisfactionem non dedit congruam, vel rancorem conservat ideo quod fuit ad ludicem delatus.

Alii casus.

29G C. II.—Nonnulli accedunt ad Victorinum paenitentes qui seipsos de inimicitia accusant. Quid agendum sit confessarlo?

Sol—Eos qui de inimicitia se accusant conetur confessarius ad sensum Christianum advocare, inter motiva condonationis suggerens Dei erga nos misericordiam, pas-

sionem atque mortem Christi pro nobis peccatoribus, sanctorum exempla perillustra, etc. Ubi mutua praecesserit offensio et quisque sibi persuasum habeat graviore: aut priorem se passum esse iniuriam, utrumque enixe hortetur ad quaerendam reconciliationem, v. gr.. incipiens salutando aut proponens pacem per internuntium. «Non facile tamen imponat obligationem directe petendi veniam. quia haec fere nunquam adest; irrimo etiamsi certo adsit, saepe prudentia suadet ut paenitentem in bona fide relinquat, si monitio non speretur profutura» | Imponat nihilominus sinceram condonationem interiorum et remotionem insuper scandali—quod ordinario declaratione amoveri poterit.

C. III.—Confessionem peragens Rufus deponere re- 297
sat grave quo fertur odium in Eutychianum qui valde indigne cum ipso egit. Estne absolvendus?

Sol—Si agitur verum odium, negative: detrectat namque implere obligationem gravem. Non sunt attamen illico arguendi de peccato odii quotquot se de odio accusant, cum saepe confundant odium cum antipathia, repugnantia seu aversione naturali et invincibili, aut odium personae cum odio qualitatis, non semper malo. «Quodsi proximo non optent grave malum, nec recusent signa ordinaria dilectionis, nec aliud grave incommodum ex illo affectu timeatur (v. gr., contemptus, scandalum et vindictae cupiditas), sunt absolvendis |

C. IV.—Amalia, extraordinariam confessionem, occa- 298
sione exercitiorum spiritualium, instituens, Raphael! confessario narrat sibi iamdiu nullam amplius esse amicitiae necessitudinem cum quibusdam consanguineis, eo quod iidem suae famae graviter detraxerint. Monita a

| Merkelbjch, *l. c.* n. 900.

| *Ibidem*, n. 948.

confessario de gravi onere quo Christiani adstringimur debita inimicis dimittendi, Amalia respondet se odium iam deposuisse; at si amicitiae causam cum huiusmodi consanguineis renovaret, fieri posse ut videretur eorum detractioes quodammodo firmare; ceterum alios confessarios eiusdem agendi morem hucusque minime improbasse. Quibus auditis, Raphael, sive quia de casus solutione dubitat, sive quia aliorum confessariorum iudicium corrigere non audet, Amaliam absolvit Quid dicendum?

Sol.—Confessarius imprimis interrogare debuit num ageretur de abrupta cum illis consanguineis amicitia tantum speciali, num insuper et communi. In prima enim hypothese, Amalia non tenetur amicitiam pristinam resumere. In altera vero, cui videntur favere verba «nullam amplius...» et ipsa paenitentis inquietudo, rem aperientis iterum quam alii confessarii non improbarunt, amicitiam necessum est restauret, per se loquendo. An etiam quandiu timet ne communis familiaritatis reassumptio firmare videatur illorum detractioes? Si quod gravamen timet infamiae sit revera probabile, nec dumtaxat possibile, cui satis obviare non valeat alio medio—v. gr., se significans innocentem, gerens vitam honestam unde bonum nomen recuperet penes probos—, licet quidem Amaliae hoc medium adhibere ut propriae fama consulat, quandiu consanguinei detractores veniam non petant et se paratos praebeant congruae dandae satisfactioni. Vel tunc tamen oportet sic se gerat ut consanguinei ipsimet hanc agendi rationem tribuere possint non odio vel vindictae sed defensionem iustae. In his propterea adiunctis Raphael arguat paenitentem de scrupulo et confirmet sententiam superiorum confessariorum. Quam alias infirmare debet et corrigere; prudenter attamen, v. gr., dicens pristinos confessarios circumstantiae casus ignorasse aut neglexisse.

C. V.—Aquilinus loquitur confessario: Nolo offensori 299
meo malum optare, at non possum sive bonum ei velle
sive iniuriae ab eo illatae oblivisci.

Sol.—«Offensam revera non remittit, qui dicit: *Nolo
otfensori meo malum optare, sed neque bene ipsi velle
possum...* Si autem quis dicat se ex animo quidem ig-
noscere, sed nunquam fore ut obliviscatur iniuriae ac-
ceptae, videndum est quomodo non poterit oblivisci,
utrum quoad memoriam tantum et motus involuntarios
rancoris, an etiam quoad malevolentiam; primum cen-
sendum est, si paratus est debita signa caritatis exhi-
bere». Ita Aertnys-Damen

C. VI.—Utrum peccent parentes qui in punitionem 300
vel ad ostensionem doloris filium non aspiciunt, non
alloquuntur, e domo eiciunt qui crimen commiserit, eos
graviter offenderit, matrimonium indignum inierit?

Sol.—Si id faciant ad tempus, negative. Nequeunt at-
tamen reconciliationem in perpetuum abnuere.

C. VII.—Isaurus offensorem suum, licet veniam pe- 301
tentem, defert ad iudicem a quo poena puniatur civi-
libus legibus taxata. Agitne contra dilectionem debitam
inimico?

Sol.—Ad haec Baftez: «Aliud est considerare ista se-
cundum iustitiam, aliud ex caritate. Dico ergo primo,
quod cum lex sit iusta, non est malum velle servari ius-
titiam absolute loquendo. Dico secundo, quod odium
cordis et appetitum vindictae ex tale odio tenetur homo
deponere. Dico tertio, quod potest petere poenam pecu-
nariam sibi debitam secundum legem, sicut ab amico
vult solvi sibi debita. Dico quarto: difficile est valde, et
vix moraliter loquendo usu veniet, quod quis nolit con-

1 Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 344, ed. 1939.

donare poenam corporalem abscissionis manus aut capitis, et quod careat odio et appetitu vindictae. At vero casus esse posset, ubi id liceret, v. gr., si familia offensi manet infamis nisi puniatur inimicus secundum leges. Sed quando aut nullum aut leve damnum sequitur ex tali condonatione, ego non credam talem hominem esse in bono statu nisi condonet, quantum in se est. talem poenam» x.

302 C. VIII.—An sit peccatum grave si duo alumni eiusdem seminarii vel duo religiosi eiusdem conventus, hucusque familiariter conversantes, iam amplius nolunt se invicem alloqui aut salutare?

Sol.—Merkelbach respondet: «Videtur nimis generale quod aliqui sine restrictione dicunt, religiosum qui confratrem post decem dies non vult alloqui, non esse absolvendum: non enim semper ut signum gravis odii habetur»². Lehmkuhl animadvertit «videndum esse, utrum fuerit causa rixandi levis, an gravis; si levis, eam non praesumi in timoratis causasse grave odium, ac proin omissionem alloquii non facile haberi posse pro odii gravis signo, neque pro gravi, sed pro veniali, peccato; si causa rixandi gravis fuerit, diuturniorem omissionem amicabilis convictus pro gravi peccato habendam omnino esse»⁰.

Huc e volumine superiore Casus accedat: Mala optans inimicis Ecclesiae et de eorum malis gaudens (1, 276-4).

» BAsEz, m II-H, 25, 9. dub. 5, coi. 659, ed. 1586.

* Merkelbach, l. c., n. 897.

‡ Lehmkuhl, l. c. nota.

V. CARITAS IN QUAESTIONE SOCIALI

Doctrina.

Remedium adhibendum ad restaurationem pacis socialis inter patronos et operarios, qui invicem his nostris diebus deluctantur, quidam iustitiam invocant prorsus excludentes caritatem. 303

Sed iustitia versatur circa operationes quae sunt *ad alterum* sub ratione debiti stricti. Porro, praeterquam operationes unum respiciunt exteriorem actum et ultra debitum strictum seu legale datur et debitum morale seu amicabile, quoties agitur de relationibus ad alterum sumus valde proclives ut minuamus officia nostra et ideo iura aliena. Iam retulit S. Augustinus | dictum cuiusdam mimi communi plausu acceptum: «Vili vultis emere, et care vendere»; de quo D. Thomas: «Illud commune desiderium non est naturae, sed vitii. Et ideo commune est multis, qui per latam viam vitiorum incedunt» 1

Caritate, contra, homo respicit proximum ut *unum secum*, cui propterea idipsum vult quod sibi appetit, ad quem interius bene afficitur quasi amicum et fratrem; nec contentus ipsi reddere debitum strictum, solvit et debitum amicabile atque confert beneficium gratuitum 3 Hinc quod caritas nos moveat ut ementes cogitemus nos vendere, vendentes vero emere, ne velimus minori emere aut maiori vendere pretio quam velimus nobis solvi vel

1 S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. 13. c. 3; PL.. 42, 1017.

2 S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 77, 1, 2m.

3 Id., *ib.*, q. 23, a. 3, Im.

a nobis exigi'; id facientes hominibus quod volumus ut homines nobis faciant (Mt. 7, 12).

304 Hinc Pius XI: «Verum nequit eadem tantummodo dura et quasi ierrea constare iustitia, sed temperari utique debet haud minore caritate, quae quidem virtus nata apta est ad homines cum hominibus placandos»

Et iterum: «Ipsa populorum atque adeo socialis vitae totius instituta ea iustitia imbuantur oportet maximeque necessarium est, ut vere efficiens evadat seu ordinem iuridicum et socialem constituat, quo oeconomia tota veluti informetur. Caritas vero socialis quasi anima debet esse huius ordinis... Tunc solum vera omnium in unum commune bonum conspiratio haberi poterit, cum societatis partes intime sentiant se unius esse magnae familiae membra eiusdem caelestis Patris filios, immo se unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra, ita ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra. Tunc enim divites alique proceres, pristinam suam erga pauperiores fratres incuriam in sollicitam et operosam dilectionem mutabunt, eorum iusta postulata aperto corde excipient, eorumque forte culpis et erroribus libenter parcent. Operarii vero, quovis odii invidiaeque sensu, quo socialis certaminis fautores tam callide abutuntur, sincere restincto, locum sibi a divina Providentia in humana societate assignatum non solum non fastidient, sed magni facient, utpote bene conscii, ad commune bonum pro suo quemque munere et officio vere utiliter et honorifice adlaborare

1 «Mettez-vous tous-jours en la place du prochain, et le mettez en la vostre, et ainsi vous jugerés bien; rendez-vous vendeuse en achetant et acheteuse en vendant, et vous vendrez et achèterez justement» (S. Franciscus Salesius, *Intr. à la vie devote*, part III, ch. 36; *Oeuvres*. III. p. 259. ed. 1893).

1 Pius XI, en. *Ubi arcano* (AAS, 14 [1922], p. 685).

eiusque vestigia pressius sequi, qui cum in forma Dei esset, faber inter homines esse et fabri filius haberi voluit»¹.

Pius XII quoque: «Si rigidae destrictaeque iustitiae caritas fraterno foedere non coniungitur, facilius mentis oculi quadam praepediuntur caligine, ne aliena iura cernant; aures obsurdescunt, ne vocem illius aequitatis audiant, quae, si volenti sapientique consilio edisseratur, asperrimas ac salebrosas causas, quae in controversiam cadunt, ordine rationeque enodare atque explanare potest»².

Denuo: «Nova hominum institutio ac reformatio, ut suos queat edere fructus... integra iustitia actuose temperetur, caritate denique consummetur ac perficiatur»³.

Casus primus.

Silvius parochus est vir eximiae caritatis et omnes 305
occasiones libenter arripit ut caritatem urgeat in suis fidelibus, ut supremum remedium omnium malorum vitae socialis modernorum.

Paschalis vero, iuvenis actioni catholicae inscriptus et operarius in fabrica industrial! locali, eum monet aperte fideles valde admirari eius agendi rationem, qua omnium respectus conciliatur, minime exclusis adversariis, non item vero rationem praedicandi, quia longe maior pars fidelium est debilioris socialis condicionis et mallet audire sermones de iustitia, potius quam de caritate.

Parochus respondet se optime novisse salutem ani-

¹ Pius XI, eno. *Quadragesimo anno* (AAS, 23 [1931], pp. 206. 223 S.).

² Pius XII, homilia In missa Paschatis (AAS, 31 [1939], p. 150)

³ Pius XII, enc. *Summi Pontificatus* (AAS, 31 [1939], p. 441).

marum non ex iustitia sed ex caritate dependere; unde non est ei mutanda neque ratio agendi, neque ratio praedicandi.

Paschalis tristis evadit et actionem catholicam deserit, etsi perseveret in frequentatione ecclesiae.

Quaeritur:

1) Quid de ratione agendi et praedicandi Silvii parochi.

2) Quid de reactione Paschalis iuvenis.

Solutio

306 *Ad Ium.*—Laudandus, proculdubio, Silvius parochus quod sit vir eximiae caritatis, adeo ut fideles admirentur eius agendi rationem, qua omnium respectus conciliatur, minime exclusis adversariis.

Laudandus pariter quod omnes libenter occasiones arripiat ut caritatem urgeat in suis fidelibus, ut supremum remedium omnium malorum vitae socialis modernorum. In hoc etenim imitatur S. Ioannem evangelistam, de quo narrat S. Hieronymus: «Nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres qui aderant, taedio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit»^{*}

307 Sed nec Silvius esset carpendus quod ut plurimum de caritate facit sermonem, raroque de iustitia: praeterea enim tam eximia praebet ipse de caritate exempla, longe maior pars fidelium est debilioris condicionis socialis. Hi autem, etsi mallent sermones potius audire de

¹ S. Hieronymus, in *Gal.*, lib. 3, c. 6; PL., 26, 462.

iustitia. magis indigent sermonibus de caritate. Frequenti immo sermone de iustitia non faveret paci inter patronos et operarios, sed foveret horum in illos animum infensum.

Esset autem carpendus si numquam de iustitia verbum diceret ad fideles quorum quidam, ditiores, iniuste se gerunt erga eos qui debilioris sunt condicionis: iustitiae enim praecepta non statim omnibus innotescunt, et ideo sunt a parochio explicanda, eorumque ad caritatem nexum aperiendum.

Hinc diceres Silvium minus recte sentire salutem animarum, non ex iustitia, sed ex caritate, quasi sola dependere.

Ad Illum.—Probandus quidem foret Paschalis zelus 308 si parochum monuisset modo debito, «non cum protervia et duritia, sed cum mansuetudine et reverentia \

Hunc modum attamen non servasse satis liquet ex casu, si quid opinor.

Imprimis, quoniam discessit tristis et actionem catholicam deseruit. At si egisset cum mansuetudine et reverentia, propriam dumtaxat exponeret sententiam, eam quin imponere contenderet; corde quoque conspiceret cur parochus non multi faciat votum maioris partis e fidelibus: omnes enim malumus praedicatorem loqui de officiis aliorum potius quam de nostris; sed nec procederet, quasi exasperatus, ad actionis catholicae desertionem, propriae causae adversam: difficilius enim in posterum gratiam parochi inibit.

Sed vel huius responsio, facietenus saltem inurbana et aspera, prodit Paschalem commonentem cum protervia et duritia: haec etenim responsio non intellegitur penes virum eximiae caritatis nisi quod Paschalis sua

1 S. THOMAS, *l. c.* 33, 4

agendi ratione visus est parochus aut imitator discipulorum quibus S. Ioannes non dissimilia verba reddidit, aut unus ex incautis illis, verbo Pii XI, reformatoribus, «qui solam iustitiam eamque commutativam servandan curantes, caritatis auxilium superbe reiciunt» \ aut actioni catholicae propterea adscriptus quod habeat ius regendi hierarchiam, magis quam officium ei plene subiacendi.

At si tetegit Paschalem ductam iuvenili impetuositate atque simplicitate, melius quidem parochus egisset ipsi rationes dando quibus suscepta praxis commendatur, ipsique ostendendo vim seu virtualitatem caritatis in Sanctis manifestam quotquot malis socialis vitae remedium attulerunt, iustitiam, potius quam colentes, cumulantes.

- 309 Paschalis debuit prae oculis habere haec verba Pii XI: «Uniantur omnes bonae voluntatis viri, quotquot sub Ecclesiae Pastoribus hoc bonum ac pacificum Christi certamen certare volunt; omnesque, Ecclesia duce ac magistra, in Christianam humanae consortionis restaurationem, quam Leo XIII per immortales Litteras *Rerum Novarum* auspicatus est, pro cuiusque ingenio, viribus, condicione, aliquid conferre nitantur; non se nec sua quaerentes, sed quae lesu Christi; non propria consilia omnino urgere contendentes, sed ea vel optima remittere parati, si maius commune bonum id requirere videatur» 2.

Alii casus.

- 310 C. II.—Postquam recentiorum Pontificum acta pervolvit qui de quaestione sociali egerunt, Maruthas ency-

1 Pius XI, l. c. p. 223.

1 Pius XI, l. c., p. 228.

clicam *Rerum Novarum* suminis laudibus apud parochum celebrat; dolet tamen, inquit, quod inter tot preclare dicta de iustitia, Leo XIII verbum protulerit quasi inconsultum, Christianam videlicet caritatem totius esse Evangelii legem compendiarium. Quid parochus respondeat?

Sol.—Respondebit facile huius verbi originem longe altiore et antiquiore esse. Nam ipse Dominus. <In his duobus mandatis (de dilectione Dei et proximi) universa lex pendet et prophetae» (Mt. 22, 40). Et Apostolus, loquens de officiis hominis ad homines: «Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum» (Rom. 13, 8). Quod et explicat dicens: «Caritas patiens est, benigna est. Caritas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt ..» (I Cor. 13, 4 ss.).

C. III.—Instabit forsitan Maruthas: Quare tunc ex- 311
presse Pius XII: «Multis quidem, quae in re sociali habeantur, iniustis condicionibus caritas aliquatenus mereri potest; id tamen non satis. Principio enim iustitiam vigescere, dominari ac reapse ad effectum deduci opus est?» 2.

Sol.—Reponat parochus omnia quidem praecepta iustitiae esse contenta in praecepto dilectionis proximi instar conclusionum in principio; unde sicut «qui perfecte cognosceret principia secundum totam suam virtutem, non opus haberet ut ei conclusiones seorsum proponerentur» 3, ita qui plene attingeret virtualitatem prae-

1 «Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis; Christianae caritatis intellegimus, quae totius Evangelii compendiarium lex est» (Leo XIII, enc. *Rerum Novarum*; Acta, vol. XI, p. 143).

3 Pius XII. enc. *Evangelii praecones* (AAS, 43 [1951], p. 518).

2 S. Thomas, *l. c.*, 44, 2.

cepti de diligendo proximo non indigeret ut praecepta iustitiae seorsim sibi darentur. Sed quia non omnes penetrant totam huius praecepti virtutem, ideo oportet hanc ipsis explanare. Quapropter Pius XI: «Caritas hoc nomine gloriari non potest, nisi iustitiae rationibus innitatur... Caritas, quae operarium debita mercede privat, non caritas est, sed vanum nomen et ficta species caritatis. Neque sane aequum est ut artifex veluti eleemosynam id accipiat, quod sibi iustitiae titulo debeatur; nec eo cuilibet contendere licet, ut se iustitiae debitis eximat, parva misericordiae dona subrogando»¹

- 312 C. IV.—Flavianus, socialistarum doctrinae propugnator, invocat verbum Scripturae «Opus iustitiae, pax» (Is. 32, 17) ut ostendat pacem socialem ex iustitia dumtaxat expectandam.

Sol.—Huic verbo Scripturae D. Thomas: «Pax est opus iustitiae indirecte, inquantum scilicet removet prohibens. Sed est opus caritatis directe: quia secundum propriam rationem caritas pacem causât. Est enim amor vis unitiva...; pax autem est unio appetitivarum inclinationum»².

- 313 C. V.—Contendit Anicetus ipsam benevolentiam esse posse sine caritate

Sol.—Benevolentia nominat dumtaxat voluntatis actum quo alicui bonum volumus, ita ut nihil pro eo faceremus nec pro eius turbaremur malis, prout contingit nobis pugiles aspicientibus, quorum alterum vellemus vincere; quapropter et fuit dicta *amicitia otiosa*³ Amor,

¹ Pius XI, enc. *Divini Redemptoris* (AAS. 29 [1937], p. 91).

² S. Thomas, *l. c.*, 29. 3, 3m.—«Sola iustitia. vel fidelissime exhibitâ, socialium certaminum causas quidem remove, nunquam tamen corda unire animosque copulare poterit» (Pius XI, enc. *Quadragesimo anno*, AAS, 23 [1931], p. 223).

³ S. Thomas, *in 9 Ethic.*, lect. 5, n. 1825, ed. Pirotta.

e contra, caritatis importat insuper unionem affectivam ad hunc aliquem: non enim amicus diligens movetur ut bonum velit alteri nisi quod eum, amore, reputat unum secum.

C. VI.—Ubaldis asserit beneficentiam legibus consti- 314
tutam subrogari optime posse atque debere in locum caritatis Christianae.

Sol.—Expresse Leo XIII: «Quae Christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae nullae reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo Iesu Christi corde ducitur, nulla est usquam»¹.

C. VII.—Agabius, qui classium luctam indesinenter 315
promovet, hoc solet extollere argumentum quasi inextricabile: socialismum nempe, iustitiam praedicantem, obtinuisse brevi tempore sortis opificum meliorationem; quam Ecclesia, praedicans caritatem, non obtinuit per saecula.

Sol.—Qui socialismum concedatur festinus exitus, hic non praedicationi de iustitia sed praedicationi et operae mediorum quibus iustitiam vindicavit: praedicat enim classium luctam et ideo per media violenta. At Ecclesia media tantum pacifica adhibet et adhibuit, «quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut oboedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perumpat quae virtutis impediunt cursum»². Haec media, quibus Ecclesia utitur, non habent, prout media violenta, exitum immediatum, sed habent diuturniorem, praeterquam vitant mala pugnae classium communia.

¹ Leo XIII, *l. c.*, p. 120.

² Id., *ibid.*, p. 117.

Verbis Caietani: «Si vi aut metu fiat concordia, non est pax. Et ideo vulgo dicitur: *Est pax, sed mala voluntas*: quoniam est tunc concordia contra id quod homo magis vellet, ac per hoc restat voluntas ad frangendam pacem, cui consentit, ut perveniat ad id quod magis vellet» J. Dato quod socialismus obtinisset facilem concordiam inter patronos et operarios, non ideo obtinuit pacem: manent inimicitiae, invidiae et odia. Quae omnia pax, effectus caritatis, paulatim quidem, verum funditus tollit.

VI. ELEEMOSYNA

Doctrina.

316 Eleemosyna seu eleemosynae largitio, quamvis dicat communiter actum seu opus quo indigentis subvenimus defectibus, sive spiritualibus sive corporalibus, sumitur hic pro cuiusdam indigentiae corporalis sublevamine.

Porro corporalem eleemosynam cadere sub praecepto constat ex verbo Domini: «Discedite a me maledicti in ignem aeternum...: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum» (Mt. 25, 41 s.). Ad dilectionem enim proximi pertinent benevolentia et beneficentia, quae certo postulant ut proximi necessitatibus subveniamus pro nostra facultate. Unde Iohannes: «Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?» (I Ioa. 3, 17).

317 Sed ordinata ad sublevandam indigentiam, eleemosyna oportet mensuretur ad necessitatem indigentis.

Haec autem necessitas triplex communiter «signatur: extrema, gravis et levis. Extrema reputatur illa in qua damnum immineret gravissimum, uti mors, amentia, captivitas. Gravis vero, in qua amissio status (legitime acquisiti), magna iactura bonorum, gravis infirmitas, notabilis infamia vel quid simile vertitur in discrimen. Levis, denique, in qua vitam molestam ducit aliquis intra inferiorem propriam condicionem sive statum.

Quia nemo attamen caritate adstringitur ut proximum diligat plus quam se, nemo tenetur subvenire proximo indigenti quandiu subveniens huic in maiorem aut parem necessitatem ipse incideret; nisi periclitetur bonum commune, praeponendum proprio (276). Ut urgeat igitur praeceptum eleemosynae, quem ad modum necessitas ex parte recipientis, oportet sit superfluum ex parte dantis. Porro superfluum ex parte dantis duplex distinguitur: vitae ac status. Dicitur superfluum vitae—sive naturae, relativum, etc.—quidquid alicui innecessarium est ad sustentandam vitam—victu, scilicet, amictu, domicilio—propriam pariter ac illorum quorum cura ei incumbit. Superfluum vero status—sive personae, absolutum, etc.—nuncupatur id quod alicui innecessarium est ad (legitime obtentum) statum condecentem sustentandum eique providendum secundum communes atque iure receptas exigentias—utputa senectutis, morbi occurrentis, prolis multiplicandae atque dotandae ¹

¹ Ad gravem necessitatem revocandam puto carentiam involuntariam status sive condicionis homini condecentis: omnis etenim homo, non tantum habet ius ut quem legitime acquisivit statum servet, sed ut pro viribus, statum assequatur in quo valeat satisfacere necessitatibus veris hisque humanis seu secundum rationem, necessitatibus nempe debitae sive conservationis sive perfectionis.

² Monet Caictanus (*De clemosynae -praecepto*, n. 7; inter eius *Opuscula oeconomico-socialia*, ed. Zammit. p. 6) necessarium status definientium esse «crassa pensatione; attentis tamen futuris casibus qui probabiliter futuri aestimabuntur, et non omnibus qui possunt contingere:

318 Et extremam quidem necessitatem patienti tenemur subvenire eo quod vitae est superfluum. Ipso namque caritatis ordine, qui cadit sub praecepto, vita proximi indubie est praeferenda censui proprio: plus ergo diligere tenemur vitam proximi quam statum nostrum. Insuper si modo distribuarentur communes proprietates hoc pacto scilicet quod extreme indigenti subvenire nullus teneatur nisi haberet superfluum absolutum seu status, distributio illa esset iniqua; ius igitur gentium, quo primitus distributae fuerunt, hanc subintellegit conditionem quod in necessitate videlicet extrema omnia communia fiant*.

In necessitate, contra, tum levi tum gravi constitutis id erogandum est quod superest statui. Quoniam petit caritas ut praeponamus proximi sufficientiam nostrae abundantiae, statum proximi decentem nostris superfluitatibus. Insuper, quoniam de iure naturali omnia fuerunt communia; si ius igitur gentium statuit divisionem atque privatam proprietatem rerum, hoc fecit ut omnes abundarent, non ut plures egerent. Iis ergo quibus bona communia vinculantur ut pro ceteris negotia gerant nefas est excludere indigentes a copiosioribus fructibus perceptis. Hinc Leo XIII: «Quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis

hoc enim ad consilium non pertinet». Ubi summopere considerandum est diversas circumstantias temporum inducere diversas exigentias: a. iudicium communis prosperitatis cursus, aliud communis fortuna adversa.

! «De iure naturali omnia erant communia, ut arguit sanctus Thomas. Sed ius gentium non poterat derogare naturali, dato quod faciat aliquid quod non est de iure naturali. Imaginemur ergo quod nunc sumus ante divisiones rerum ita quod omnia sint communia; et fiat lex quod ista bona approprientur ita quod ista bona pertineant ad me et illa ad te, cum tali tamen conditione quod nullus teneatur alteri subvenire nisi habeat superfluum ad statum; ita quod licet ego postea indigeam extreme, tu tamen non tenearis dare mihi de necessariis ad statum. Tunc talis lex esset iniqua» (Vitoria, in *II-II*, 32, 5, n. 5. edição Beltrún de Heredia). I

sive externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitatem adhibeat ceterorum»

Omnia porro sententia urget praeceptum eleemosynae sub mortali in proximi necessitate extrema Unde legimus: «Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, occidisti»¹ Urget etiam praeceptum ut eleemosyna huic, determinate, fiat. Urget insuper quotquot habent superfluum vitae omnes in solidum, sic ut ceteris nihil largientibus quisque debeat subvenire solus. Urget denique ut fiat pro mensura necessitatis, quamvis intra limites superflui.

In necessitate vero levi aut gravi, «quamvis teneatur (quis) dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare; sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum» Ai tenetur, omnium placito, sub mortali erga graviter indigentes. Erga leviter indigentes teneretur tantum sub veniali iuxta illos qui obligationem una necessitate dimetiuntur. His certo non consonat Aquinas, eleemosynae invocans praeceptum, nempe grave, ex uno capite superflui, seiuncti scilicet ab extrema necessitate².

¹ Leo XIII, enc. *Rerum Novarum*; Acta Leonis XIII, t. XI, p. 114

² Hic textus tribuitur S. Ambrosio in Decreto Gratiani (p. I, dist. 86, c. 21. Pasce; ed. Richter-Friedberg, col. 302, ed. 1879). Hi tamen editores animadvertunt textum non inveniri in S. Ambrosii operibus nobis notis; Bartholomeum autem Urbinum Eremitam in *MHleldquo*, quod ipsemet collegit ex huius Sancti scriptis, asserere textum esse desumptum ex opere *De alendis pauperibus* eiusdem mediolancensis archiepiscopi, hucusque non invento.

¹ S. Thomas, *Quodl.*, 8, q. 6, a. 12.

« D. Thomam signasse titulum duplicem ad urgendum praeceptum eleemosynae, extremam necessitatem atque superfluum absolutum, quorum dum unus adsit—quantumcumque alius desit—urget eleemosynae praeceptum, ostendit ex professo Caietanus in opusculo nuper citato.

Casus primus.

320 Laelius bona quae ex usibus familiae supersunt, singulis annis, accumulatur ac reponit, usque dum magna pecuniae vi comparata fundum emat, quem vivens ad sui sustentationem in extraordinariis circumstantiis adhibeat et moriens publico miserabilium hospitio relinquat. Hoc animo quancumque eleemosynam recusat.

Num haec Laelii consilii ratio probanda sit.

Solutio

321 Duo sunt in consilii ratione distinguenda: primum, quod Laelius superflua accumulet ac reponat pro fundo emendo in favorem hospitii publici; alterum, quod fundus non cedat in commodum hospitii publici nisi post Laelii mortem, sibi interea frugifer in extraordinariis quoque circumstantiis.

Et quoad primam quidem partem, Laelius carpendus est si, dum dicitur *quancumque* recusare *eleemosynam*, id facere intellegitur in necessitatibus quoque gravibus atque praecipue extremis. In extrema namque necessitate, cum urgeat eleemosyna quae *huic* pauperi seu indigenti fiat, ipsa nequit differri in posterum aliis eroganda. In necessitate quoque gravi, eleemosyna, licet non sit *huic* pauperi danda, est danda alicui *nunc* temporis nec propterea in futurum remittenda; unde Suarez non permittit pecuniam reservare pro piis operibus, puta aedificatione templi, scholasticorum collegii fundatione—quamvis haec etiam sint reipublicae necessaria—, quando actu occurrunt necessitates graves¹; Salmanti-

» Suarez, *De caritate*, disp. 7, sec. 3, n. 9.

censes pariter: «Quando tales (graves necessitates) ad-sunt, docet Bon., disp. 3, q. 4 de caritate, punt. 6, n. 9, cum aliis non posse licite Collegia aut Ecclesias ex superfluis fundari, sed subveniendum est illis necessitatibus»¹. Eo vel maxime quod, praeterquam difficile vitatur commune scandalum—eorum nempe qui propositi sunt nescii et eorum qui sunt consilii conscii—, redundaret haec agendi ratio in sociale quoque nocumentum, nam tenerentur alii divites eleemosynas abundantiores facere.

Si tamen Laelii recusatio cuiuscumque eleemosynae² intellegatur tantum in necessitatibus communibus, ipse non esset necessario carpendus; nam ut habet S. Alphonsus ex Busembaum: «Si quis dives et abundans diu neget (in communi seu levi necessitate) omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliori et commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi; is non peccat, cum habeat iustam causam negandi»³; praeter casum, ut liquet, in quo eleemosynae cuiuslibet recusatio cederet in scandalum sive illorum qui nescii sunt propositi, sive aliorum qui, huius quantumvis conscii, advertunt tamen unam vel aliam eleemosynam pauperi occurrenti nullatenus obstare consilii executioni.

Quoad partem vero alteram. Laelii consilii ratio est³²³ prorsus improbanda. Imprimis quoniam sollicitatur de extraordinariis etiam circumstantiis, quae, propterea quod sunt extraordinariae, sunt, quantumcumque possibiles, improbabilis³; alias teneremur subscribere propositioni ab Innocentio XI damnatae: «Vix in saecula-

¹ Salmaticenses *Mor.*, tr. 21. c. 7, n. 15.

² S. Alphonsus, *Th. Mor.*, II. 32. cd. Gaudé.

³ Cf. S. Thomam, *Summa Theol.*, II-II, 55, G s.; I-II, 108. 3, 5m.

ribus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui» (Denz. 1162). Insuper, quod Laelii intentio prima atque potissima est curam gerere sui ipsius et id dumtaxat dare hospitio publico quod, potius quam superfluum sibi, est sibi inutile. Denique, quia, si rem presse agimus, Laelius mittens fundi cessionem ipso mortuo, non facit eleemosynam de bonis suis, sed de bonis potius alienis, nempe heredum

Alii casus.

324 C. II.—Confugiunt nonnumquam ad Symphronium, virum ditissimum, aegroti indubiae morti properantes, medicorum sententia, nisi migrent in regionem longinquam vel sumptuosam aut adhibeant medicinam aut subeant operationem chirurgicam. Teneturne Symphronius omnes has expensas sustinere?

Sol.—Negative, quoniam neque propriam vitam quis servare tenetur mediis seu expensis extraordinariis (259). Sic Prümmer nec diviti imponebat eleemosynam mille francorum¹, neque permittebat indigenti mille francos subripere². Alii non urgent eleemosynam cum maximo aut magno sui damno vel incommodo nec ideo cum amissione vel magna deminutione proprii status³. At postremum forsitan admitti posset ubi status ratio haberetur socialis potius quam personalis, ob emolumentum videlicet quod abundantes divitiae obtinent pro ipso bono communi, praefereendo vitae individui.

¹ Prümmer, *Th. Mot.*, T. 592, ed. 1931.

² Id., *fb.*, II. 87. ed. 1928.

³ Merkelbach, *Th. Mot.*, I, 930, ed. 3; Noldin, *Th. Mor.*, II. 91 ed. 1932.

C. III.—Bercharius pecunias habet statui suo superfluas; prospiciens autem nonnullos e concivibus gravi pressos necessitate, petit a confessario num totum illud superfluum his debeat erogare. 325

Sol.—De quantitate sub praecepto danda graviter indigenti Auctores non sunt satis expliciti. Ita e modernis Melkelbach † et Fanfani¹ loquuntur de superfluis status, immo et de necessariis status, sine gravi tamen incommodo; Prümmer², de superfluis status, id est non omnino necessariis ad decentiam status, nullatenus cum status amissione sive iactura; Aertnys-Damen³, de superfluis status indistincte; Marc⁴, de superfluis status, sed cum mediocri incommodo dumtaxat. Ex antiquioribus Vitoria⁵ non audet eos damnare qui, dum proximus versatur in gravi necessitate, sibi aliquid servant ad altiore statum ascendendum; Baflez⁶ dicit in genere: «Quando in republica sunt graves et urgentes necessitates non est licitum ascendere statum altiore, si per hoc eleemosynae impediuntur». Verum pro D. Thoma si sola superfluitas, seiuncta nempe a proximi necessitate extrema, caput est et fons unde oritur praeceptum eleemosynae (319), satis superque liquet id totum graviter indigentibus erogandum quod statui est superfluum; nec incommodum mensurandum esse quantitate—ut mediocre dicatur si dantem privat parvo, grave contra quod magno privat—, sed incommodum tunc erit grave cum tribuens eleemosynam necessitati gravi se commit-

¹ Merkelbach, *l. c.*

¹ Fanfani, *Th. Mor.*, II, 108

» Prümmer, *l. c.*, I, 592.

³ Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 362, ed. 1939.

⁴ Marc, *Inst. Mor.*, I, 488, ed. 1927.

« Vitoria, *l. c.* n. 12.

⁶ BÂNEZ, in *II-II*, 32, 6; col. 723, ed. 1586.

teret; si quod alias incommodum hoc aut mediocre aut leve \

326 C. IV.—Quinctianus, dives religiosissimus, postulat a theologo quantam debeat conferre stipem constitutis in necessitate levi seu communi.

Sol.—Loquens de quantitate debita constitutis in necessitate levi S. Alphonsus calculum adiecit sententiae, quam communiorem dixit, quaeque docet «satisfacere probabiliter divites erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum reddituum, sive duos aureos ex centum; sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant»². Sufficerent ergo 2 pro 100 ex redditibus—intacto capitali—, sic quod dives qui ex capitali lucratur libellas mille annuas teneretur ad viginti dumtaxat libellas pauperibus communibus dandas illo anno ¹. Liquet autem hanc tenuem eleemosynam nullum afferre divitibus incommodum. Sed haec S. Alphonsi celebrata regula, si ob temporum adiuncta potuit pri-

¹ Negamusne propterea ius adspirandi ad altiorem statum seu ad meliorandam vitae condicionem? In hoc capite de eleemosyna si res agitur, diceremus quidem nullum adesse lus ei qui iam iruitur decenti statu sive congrua vitae condicione reservandi pro superiori statu et commodiori vita temporalia illa bona quae proximo graviter indigenti pronuntiavimus gratis dispensanda. Si caritas etenim non obligat ad diligendum proximum plus quam nos, obligat tamen ut diligamus proximi sufficientiam prae nostra commoditate seu abundantia. Illud propterea studium est in futurum tempus differendum, quo ditescere possumus nos absque proximi nostri detrimento.

- S. Alphonsus, *l. c.*

² Alii intellegunt quinquagesimam partem bonorum superfluum: sic Aertjys-Damen (*Th. Mor.*, I, 364. ed. 1939); item Ionio (*Th. Mor.*, I, 264, ed. 1953). In hac ergo sententia divitibus liceret retinere 98 % ex superfluis. Sed inde cumlaretur facile penes paucos immanis ea potentia atque despoticus potentatus oeconomicus a Pio XI deploratus (enc. *Quadragesimo anno*, AAS, 23 [1931], pp. 210 s.). Unde ipsemet Aertjys-Damen (*l. c.*) hanc quotam vult intellegi «de eleemosynis manualibus pauperibus unius loci tribuendis», et complexum subventionum dicit quotam maiorem postulare.

dem sufficere sublevandis proximis indigentibus, hisce nostris temporibus est prorsus insufficiens. Ideo nonnulli | imponunt iam divitibus eleemosynam decimae, immo et quintae atque potioris partis proventuum (10 pro 100, 20 pro 100. etc.). At D. Thomas, ni multum fallimur, eleemosynam vult abundantiosem. Respondens siquidem obiectioni de triplici decima posita Lege Veteri—decima scilicet pro levitis, decima pro sacrificiis et decima pro pauperibus—ait: «Secundae decimae, quae reservabantur ad sacrificia offerenda, locum in nova lege non habent, cessantibus legalibus victimis. Tertiae vero decimae, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur, per hoc quod Dominus non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi: secundum illud Luc. 11: *Quod superest, date eleemosynam*. Ipsae etiam decimae quae ministris Ecclesiae dantur, per eos debent in usum pauperum dispensari» 3.

C. V.—Se Pharnacius excusat ab eleemosynis erogandis quod contributionem seu tributum sive taxam solvit a Statu pro pauperibus impositam. 327

Sol.—Si alicubi civilis lex contributionem seu tributum exigat in beneficium pauperum, v. gr., pro hospi-

• V. gr.. Vermeersch, *Th. Mor.*, II. 108. ed. 1928: Azpiazu, *La moral del hombre de negocios*, c. 24, p. 349.

1 S. Thomas, *l. c.*, II-II, 87. 1, 4m—Concinit Leo XIII: «Nemo certe opitulari aliis de eo lubetur, quod ad usus pertineat cum suis tum suorum necessarios; Immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat, quodque deceat: *nullus enim inconvenienter vivere debet* (S. Thomas, *l. c.*, q. 32, a. 6). Sed ubi necessitati satis et decori datum, officium est de eo quod superat gratificari Indigentibus: *Quod superest, date elcemosynan*» (*l. c.*, pp. 113 s.). Quo tamen pacto haec pontificis postrema verba «licet intellegere secundum probatam S. Alphonsi doctrinam et praxim communiter receptam, qua tantus rigor a bonis christians leneri non solet», prouti Genicot (*Th. Mor.*, I, 228, ed. 1931) loquitur, me omnino latet.

tiis, hospitalibus, eleemosynae iam signata quantitas pro rata huius tributi minuenda. Quin propterea sit civibus abstinendum a privata qualibet eleemosyna. Quia non obstante quam Status gerit curam pauperum, et ideo maxime quod publicis quibuscumque Institutis non semper est facilis accessus, perpetuo erunt aliqui indigentes privata caritate subveniendi \

328 C. VI.—Evellius, quamvis optime noverit, nonnullos esse in pago leviter immo et graviter indigentes se ab eleemosyna putat liberum quod nemo illorum hanc ab ipso exposcit.

Sol.—Generalis quidem haec est regula: «Illa beneficia quae non debentur certae personae sed communiter omnibus proximis, sive sint corporalia sive spiritualia, non oportet nos quaerere quibus impendamus, sed sufficit quod impendamus eis qui nobis occurrunt»². Generatim igitur Evellius non tenetur pauperes quaerere sub-

¹ «Non potremo inline omettere di osservare che la migliore organizzazione caritativa non basterebbe da sè sola all'assistenza degli uomini in miseria. Occorre aggiungere necessariamente l'azione personale, piena di premure, sollecita a superare le distanze Ira il bisognoso e il soccorritore, e che si appressa all'indigente, perché è fratello di Cristo e anche fratello nostro. La grande tentazione di un' epoca che si dice sociale, nella quale—oltre la Chiesa—lo Stato, i Comuni e gli altri Enti pubblici si dedicano a tanti problemi sociali, è che le persone, anche credenti, quando il povero batte alia loro porta, lo rinviino semplicemente all'Opera, all'Ufficio, alla organizzazione, stimando che il loro dovere personale sia già sufficientemente adempiuto coi contributi prestati a quelle istituzioni mediante il pagamento di imposte o doni volontari. Senza dubbio il bisognoso riceverà allora il vostro aiuto per quell'altra via. Ma spesso egli conta anche su voi stessi, almeno sopra una vostra parola di bontà e di conforto. La vostra carità deve rassomigliare a quella di Dio, che viene in persona a portare il soccorso. E' questo il contenuto del messaggio di Betlemme. Finalmente, gli uffici non possono sempre accordare la loro assistenza in una maniera così individuale, come sarebbe necessario; perciò l'instituzione caritatevole ha bisogno, come indispensabile complemento, di ausiliari volontari» (Pius XII. *Messaggio Natalizio* del 1952; AAS, 45 [1953], p. 46).

² S. THOMAS, *l. c.*, 33, 2, 4m.

levandos. Hos attamen si noverit irretitos proba miseriae verecundia tenetur eleemosyna sublevare quamvis non expetita.

C. VII.—Austremonius magna gaudet pecuniarum 329 copia; videns autem plures e concivibus esurire, his laborem, sibi tamen utilem, praebet quo lucrentur victum: putat enim hac agendi ratione praecepto satisfacere eleemosynae.

Sol.—Recte quidem, quandiu agitur de indigentibus qui laborare possunt. Cum enim eleemosyna ordinetur in sublevamen indigentiae, eius obligatio non urgent ultra. Prout igitur si congrue egenti subveniatur rei usu concesso, absque cessione proprietatis, non tenetur quis imam proprietatem abdicare; si congrue subveniatur credito, commodato, mutuo, non tenetur quis ut tribuat rem modo necessariam absque ulterioris restitutionis onere; ita pariter, si congrue subveniatur conductione operae, sufficit operam conducere pecunia compensandam. Quin immo «haec est eleemosyna potior quae sublevat indigentiam sine humiliatione, pauperum inertiam fugat, animi corporisque vires extollit»¹. Nec obstat quod praebens aliis laborem sibi utilem, Austremonius ditescat: «Fortunam suam rite et iuste amplificare non prohibentur quicumque ad bona progignenda dant operam, immo aequum est ut qui communitati deservit eamque reddit ditiolem, ex auctis communitatis bonis ipse quoque pro sua condicione ditior fiat, dummodo haec omnia cum debito erga Dei leges obsequio et illaesis aliorum iuribus quaerantur et secundum fidei rectaeque rationis ordine adhibeantur»².

* Sic cl. Felici, apud Palazzini-De Iorio. *Casus Conse.*, I, 94.

s Pius XI, *l. c.*, p. 222.

Huc e volumine superiore Casus accedant: Dans eleemosynam ut avertat a fide (I, 155); vel ob finem bonum atque malum, intentam propter Deum et factam pro hominibus (I, 156); vel cum va?ia gloria (I, 157); Uxor faciens eleemosynam contra vetitum viri (I, 422).

VII. CORREPTIO FRATERNA ET DENUNTIATIO

Doctrina.

330 Contra peccatum proximi qua nocivum peccanti remedium adhibetur correptione | fraterna, in eleemosynis spiritualibus difficillima.

Huiusmodi correptio est in praecepto. Legimus enim: «Si peccaverit in te (te saltem sciente) frater tuus, vade et corripe eum» (Mt. 18, 15); «Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat: Non feci» (Eccli. 19, 13). Est siquidem in praecepto caritas ad proximum, item misericordia, quarum fraterna dilectio venit actus; est et in praecepto eleemosyna, in cuius speciebus fraterna correptio longe praestat².

1 «Adverte differentiam esse inter correctionem et correptionem, inter corrigere et corripere. Nam corripimus quos emendare intendimus; corrigimus autem eos quod cum effectu emendamus» (BâRez. in II-II, 33, 1).

* «Ex praecepto tenemur ad dilectionem proximi. Dilectio autem in se includit ut homo velit ei bonum quem diligit... Et quia carere malo habet rationem boni, ut dicitur in 5 Eth., inde est quod ad rationem pertinet dilectionis ut etiam velimus mala dilectis nostris non inesse. Voluntas autem efficax non est, nec vera, si opere non comprobetur: undo etiam ad rationem dilectionis pertinet ut ad amicos bona operemur et mala eorum impediamus... Tertium autem bonum est bonum virtutis, quod est bonum animae, cui contrariatur malum peccati. Ad hoc aut^m bonum consequendum, vel malum vitandum, tanto magis tenetur homo ex caritate proximum auxilium ferre, quanto magis pertinet ad rationem quare aliquis ex caritate diligitur; unde et Philosophus dixit in 9 Eth..

Cadens sub praecepto affirmativo, correptio fraterna 331 non obligat nisi: 1.^o adsit certitudo peccati commissi aut committendi—nam temeraria suspicio redderet odiosam correptionem—; 2.^o adsit fundata spes emendationis, quae est finis praecepti et correptionis; 3.^o adsit correptionis necessitas, quae profecto non adest ubi peccans aut emendavit se, aut absque correptione resipiscet, aut corripendus sit ab aptiori; 4.^o agatur de peccato mortali, nam corripere proximum de venialibus—nisi proxime ducant ad mortale—impossibile aut nimis onerosum, praeterquam ut plurimum, inter saeculares saltem, absque fructu—nam fugiens unum incidet in aliud—et sine vera necessitate—ei enim cum facile valedicere valeat ipse peccans

Verbis ipsius Christi (Mt. 18. 15 ss.), in correptione 332 fraterna admonitio secreta praecedere debet inductionem testium, horum autem inductio denuntiationem publicam: sicut debemus enim curare de emendatione proximi, ita et de fama eius; at ubi salus proximi petat famae dispendium, nefas est irrogare maximum, si satis minimum. Non sunt igitur inducendi testes! quandiu secreta admonitio sit sufficiens; nec res est deferenda superioribus ubi vel secreta admonitio vel inductio testium habitura sit optatum fructum²; denique si denun-

quod tanto magis debet homo ferre auxilium amico ad vitandum peccata quam ad vitandum damnum pecuniae, quanto virtus affinior est amicitiae» (S. Thomas, *Q. D. de correptione fraterna*, a. D.

1 «Testes debent esse viri honesti, de quibus habeam fidem quod non diffamabunt illum» (Victoria, in *IJ-II*, 33. 8, n. 8, ed. Beltrân de Heredia).

2 «Non est dubium nisi quod esset maximus error procedere ad praelatum si per testes emendatur, ut patet ex evangelio. Et praeterea quia est nocumentum istius quod praelatus sciat» (Victoria, *l. c.*, n. 14).—«Aliqui sunt Imperiti et ex caritate statim denuntiant apud praelatum. dico quod, si sit ex caritate et ex ignorantia, non erit mortale praetermittere ordinem istum: bene tamen si sit ex zelo furioso. Nam sunt qui non credent vobis, dato quod dicatis eis quod sanctus Thomas et doctores

tiatione superiori immediato satis fit, non est ad mediatos altioresque protendenda. Attamen, si correptio per superiorem facta praevideatur multo securior atque fructuosior, res potest superiori referri statim, modo tamen superior discretus sit et prudens, qui procedat ut pater¹; potest quoque referri superiori, seclusis testibus, ubi iure timetur ne testes quot induci poterunt, rem divulgent; prouti et possunt subinde induci testes si admonitio secreta praevideatur inanis fore.

Sed cum fraterna correptio in unius peccantis remedium ordinetur, neque denuntiatio superioribus, neque testium inductio, neque admonitio ipsamet secreta urget quando spes emendationis nulla; a fortiori cum prudenter frater praevidetur peior futurus denuntiatus, diffamatus, correptus.

- 333 A denuntiatione paterna seu evangelica, quae venit gradus ultimus fraternae correptionis, et ideo fit superiori ut patri eoque fine ut reus emendetur seu resipiscat, differt denuntiatio quae dicitur canonica—quoniam certis in casibus per canones praescribitur—et fit superiori quatenus praesidi communitatis, non praecise ut ab hoc reus puniatur et ordo per peccatum turbatus restauretur—denuntiatio iudicialis—, sed ad vitandum, saltem minuendum, damnum tertii atque sociale maxime. Haec igitur denuntiatio ordinatur contra peccatum

dicunt quod isto ordine debet frater corripere, et constat ex evangelio; sed statim denuntiant peccatum secretum. Dico quod illi mortaliter peccant gravissime. Si autem ex simplicitate et ex caritate faciant, erit veniale praetermittere istum ordinem» (Id., *ib.*, a. 18).

¹ Superior cui peccatum uti patri denuntiatum est nequit uti iudex procedere, sed oportet subito prospiciat correptione paterna—ad illius nempe emendationem, poenam imponens nullam, aut medicinalem ad summum—; qui ergo noverit praelatum processurum ad punitionem publicam, a denuntiatione abstinere debet» (Victoria, *Z. c.*, n. 25).

proximi ut est nocivum aliis, qui passi vel passuri sunt damnum vel scandalum.

Est caritatis actus, nam tenemur ex caritate velle bonum commune prae bono proprio et ideo vitare damnum communitatis etsi cum pari damno personae; tenemur ex caritate quoque proximum diligere prout nos ipsos atque propterea damnum innocentis vitare quoties id possumus absque pari incommodo proprio. Urget autem praeceptum naturale, dummodo: a) damnum revera immineat, quod denuntiatione est vitandum; b) damnum autem alias inevitabile, nam si correptione privata vitaretur, ipsa caritas suadere potest ut a denuntiatione absteineamus; et c) adsit fundata spes damnum quod timetur evitandi. Ultra quos tamen terminos urget nonnumquam positivi iuris praescriptum, cui omnino standum est licet rigurosum facietenus appareat: severitas enim quibusdam e praescriptis iuris Canonici peculiaris supponit fidei vel religionis periculum vel aliud imminens malum publicum (cf. can. 1935, § 2).

Casus primus.

Siviardus confessionem Macrinae excipiens religiosi 334 ephebei alumnae, comperit ibidem quasdam degere puellas quae amatoriiis levitatibus deditae sunt, pravos libros furtim legunt, de libidinibus inter se haud raro colloquuntur, atque tandem audent, post haec, ad sacram synaxim, quin confessionem praemittant, quandoque accedere.

Quapropter Macrinam graviter monet ut haec quamprimum superioribus referat. At cum illa ne id agat prae fracte recuset, timens ne forte eius nomen a superioribus aliis detegatur atque in magnam ceterarum puellarum invidiam incidat, Siviardus eam absolvit.

Quid dicendum?

Solutio

335 Casus loquitur de *quibusdam* puellis, legentibus *jurum* libros pravos, colloquentibus *haud raro* de libidinibus, quae tamen *audent*, sine praevia confessione, ad s. synaxim *quandoque* accedere.

Porro si puellae huiusmodi invicem sic essent associatae quod nihil de eorum lectionibus, sermonibus, sacrilegiis transcenderet ad ceteras, ita scilicet quod aliis vel Collegio non immineret damnum vel infamia, denuntiatio superiori ut patri non obligaret cum magnae invidiae incommodo. Immo ad quaestionem: Num alumni in collegio sub gravi teneantur denuntiare occultos corruptores, Fanfani respondet: «Negative, si non timetur nisi unius vel alterius damnum, aliunde grave adest incommodum... Grave incommodum adesse posset si, e. g. denuntians proprium scelus fateri deberet, vel si suspicionem delatoris apud alios incurreret, etc.» X.

336 Si istae tamen libidines veluti cancer serpunt, remedium oportet adhibere, denuntiationem nemque canonicam, ne aliae plures ex alumniis corrumpantur aut ephebeum amittat bonum nomen. Si tamen: u) adsit fundata spes ut damnum quod instat evitabitur: si enim Macrina aut confessarius noverit damnum non evitandum, vel quia superior admonitus nihil aget—alumna- rum, v. gr., intentus numero potius quam moribus—vel quia id quod acturus est carebit efficacia—v. gr., si correptionem dicet se instituere quoniam a Macrina res sibi denuntiata, quasi admonens delinquentes ut sibi caveant a Macrinae conspectu—; et b) nulla sit alia via qua superior, promptus ad periculum sapienter et efficaciter elongandum, conscius fiat huiusmodi pericu-

» Fanfani, *Th. Mor.*, II. 115.

ii—si enim ob illarum alumnarum scissionem vel familiaritatem, vel rationem agendi, superiorem res tota non latebit diu, quoniam aliquid mali suspicabitur et ideo investigabit atque facta pravarum alumnarum deteget, denuntiationis canonicae parvum est momentum.

Quandiu tamen denuntiatio urget, conetur confessarius ut quantocius fiat. Primo pandeat Macrinae nihil sibi timendum. Superiores praesumendi sunt cauti atque prudentes nisi contrarium constet; ne timeat igitur hos prodituros esse denuntiantem seque ceterarum puellarum gratiam amissuram. Sed invidia, etiamsi probabilis, non erit puellarum ceterarum, at illarum tantum quas denuntiat—quaeque aut cessabit his a Collegio expulsis, aut compensabitur favore et plausu Collegii superiorum. 337

De reliquo, confessarius Macrinae pandat non esse necessarium ut ipsa rem deferat superiori; est saltem aliqua inter religiosas ephebei disciplinae praefectas de cuius discretionem nullum sibi dubium; huic quod novit pandat. Erit saltem denuntiatio possibilis per litteras anonymas, quibus vigilantia religiosarum excitetur. Quin immo, ait Genicot, posset confessarius ipse prudenter, cum licentia paenitentis, denuntiationem facere vel saltem superiores quodam modo monere †; cum de iunioribus tamen agitur, hisque saecularibus, qui facile (labente saltem tempore) hanc agendi rationem, coniunctissimis saltem sibi, revelabunt, qui inde habebunt odiosum sacramentum, puto a spontanea rei gestione abstinendum esse, uti plurimum.

Si Macrina recusat denuntiationem facere canonica ad quam tenetur, confessarius non debet eam absolvere. Sunt quidem Auctores confessarium excusantem 338

* Genicot, *Th. Mor.*, I, 221, ed. 1931.

ab urgenda denuntiatione qui praevidet paenitentem huic prorsus alienissimum; at oporteret paenitentem agi in bona fide, a qua turbabitur sine fructu qui nempe, propter sexum, aetatem, condicionem, putat damnum sibi futurum longe gravius periculo evertendo; quoniam si paenitens agatur qui bene novit, post redargutiones puta confessarii, damnum sibi denuntianti imminens non esse tanti quanti damnum ex praetermissa denuntiatione futurum, denuntiatio est urgenda sub poena denegandi illi absolutionem.

A lii casus.

339 C. II.—Aducus, sciens peccatum condiscipuli sui non tantum sibi sed et alii auctoritate praestanti innotescere, ab eodem putat utilius, quam a se, admoneri et corripri posse; ideo ab officio fraternae correptionis se prorsus immunem credit. Postea dubitans ne superior ille sit conreus. anceps haeret utrum ad correptionem fraternam condiscipuli teneatur, an, praetermissa admonitione, superiorem maiorem adire debeat ad utrumque denuntiandum.

Sol.—Iure quidem Aducus se immunem prorsus credidit ab officio fraternae correptionis quandiu putavit condiscipulum utilius admoneri atque corripri posse a superiore immediato, cui peccatum notum. At quid est ei agendum quando dubitat num superior iste sit conreus? Primo: superiorem hunc non facile tenebitur denunciare superiori maiori, nam, cum ille auctoritate praestet, denuntiatio non vacat a periculo seu nocumento denuntiantis. Insuper: denuntiatio, quamvis innocua, est omittenda, cum desit certitudo conreitatis, id est peccati. Potestne saltem procedere ad denuntiandum superiori maiori condiscipulum? Suppono Aducum si-

mul tangere et superioris immediati futuram in corripiendo negligentiam et correptionem condiscipuli necessariam—quippe qui nec se emendavit nec sine correptione resipiscet—. His in adiunctis, quandiu adsit fundata spes emendationis ex monitione secreta, una aut multiplici, saltem ex prolatione discretorum testium, denuntiatio haec foret illicita; item, si nulla spes emendationis, aut fundatus sit timor maioris mali, post hanc denuntiationem. Sed ubi iure timeat admonitionem secretam, quantumvis, repetitam, et ipsam testium prolationem futuram esse inefficacem aut magis prae denuntiatione gravosam condiscipulo, huius peccatum denuntiare potest statim superiori maiori; immo et tenetur, sine proportionate incommodo proprio.

C. III.—Marolus, caritatis ut putat zelo, continuo quae ab aliis fiunt confratribus explorat ut peccantes ipsos corripiat. Ubi superior conventus constitutus est. non modo ipsis subditis insidatur ut omnia noscat quae ab ipsis mala fiunt, verum et quosdam e subditis sollicitat ut quotquot mala noverint denuntient sibi, secreto vel publice punienda. 340

Sol—Ad haec Bâfiez: «Est maxime odiosum ut homines indiscreto zelo correptionis fraternae singulas civitatis domos explorent, ut sciant quis ingreditur, quis egreditur, eo pretextu ut correptionem fraternam exercent...» * Invehit etiam contra praelatos «qui singulis subditis insidiantur per media extraordinaria; unde fit ut multa veniant in notitiam ipsorum, quae relinquenda essent iudicio Dei. Deinde quae fraternaliter poterant corrigi, cupiunt sub praetextu boni communis ad iudicium deferre, ibique publice punire ut ceteri timorem habeant et seipsos magnificent. Quo fit ut sollicitent

* Bâfiez, *l. c.*, a. 3, Club. 2, conci. 3, coi. 766, cd. 1586.

quosdam ut accusent, quosdam ut sint testes, atque ita efficiunt ut subditus publice infametur qui secreto aut coram paucis poterat corrigi» x. Hinc vel Silvius superiores admonet ne per cautelam nimiam subditos diffament aut ad amaritudinem perducant

341 C. IV.—^A fraterna correptione Terentius ideo abstinere quod dubitat num frater emendabitur aut non. Estne probandus?

Sol.—Respondet ipse Bâtiez: «Si dubito an frater emendabitur vel non, ita tamen quod magis probabile est quod mea correptio nocebit proximo, tunc debeo non corrigere... In eodem casu si certus sum quod mea correctio non nocebit sed poterit prodesse, tunc teneor corripere... Quando sum in dubio aequali, an mea correctio proderit vel nocebit, valde probabile est quod non teneor admonere. Et hoc est quod sensit Caietanus, meo iudicio» 3.

342 C. V.—Isacius a correptione fraterna se liberum existimat quoties proximus ex ignorantia peccat. Quid dicendum?

Sol.—Si proximus peccavit aut peccaturus est ob ignorantiam (vel inadvertentiam), correptio, seu admonitio potius, fraterna certo urget ubi ignorantia *vincibilis* sit aut brevi fiet: cum enim mala fides a peccato non liberet, proximus non excusatur vel non excusabitur a peccato. Ideo instruendus est qui dubitans interrogat.

Ubi vero ignorantia sit *invincibilis*, distinguamus oportet:

A) Si est quoque noxia, sive peccanti sive aliis (aliis, maxime), peccans est admonendus; ita dum agitur de ig-

I BASEZ, col. 767.

3 Sil vius, *in II-II*, 60, 4, 5m.

a BARez, *l. c.*, a. 2. col. 760.

norantia eorum quae sunt ad salutem necessaria necessitate mediis aut de erronea conscientia qua quis iudicat grave id quod revera est leve; ita, si quis vellet destruere rem alienam quam ignorat pretiosam esse aut si sacerdos ingrederetur nesciens domum meretricis vel manducaret ex inadvertentia carnes die prohibito, cum scandalo adstantium.

B) Si non est tamen noxia: a) superiores, quibus officium sit subditos instruere, hos tenentur ex ignorantia peccantes admonere, quandiu speratur fructus (saltem post tempus), nec prudenter timetur peccatum materiale futurum esse formale post admonitionem: b) ceteri ad admonitionem quoque tenentur ubi silentium aequipolleat approbationi; et ubi agatur, cum spe fructus, de praecavenda vel impedienda obiectiva laesione legis naturalis aut divinae—ideo corripendi sunt infantes agentes impudica—. Num insuper si dumtaxat laeditur lex positivo-humana. cum ecclesiastica tum maxime civilis, Auctores non concordant.

C. VI.—Serapio est valde scrupulosus. Miratur autem 343 quod inter alia privilegia quibus confessarius asserit ipsum praeditum exemptio numeretur a praecepto fraternae correptionis.

Sol—Recte confessarius. Huic enim praecepto «neque scrupulosi tenentur, cum secus semper in angustiis animi versarentur, utrum in casu particulari pro ipsis adsit vera obligatio necne» I; insuper quia, cum proni sint ut peccatum cogitent ubi peccatum abest, facile suspicantur malum de proximo, quapropter eorum correptio redderetur odiosa (331).

C. VII.—Olympia, sanctimonialis, advertit quidem 344 Petroniam, priorissam, vitae, etsi privatim. indulgere

› Prümmer, *Th. Mor.*, I, 601, ed. 1931.

parum consonae cum religiosis moribus; dubitat tamen an teneatur ipsam corripere.

Sol.—Per se loquendo subditus, quoniam tenetur ad caritatem erga superiores—sunt enim sibi proximi—, tenetur superiores quoque corripere, reverenter tamen, discrete atque modeste (308); dicit enim Apostolus: «Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem» (I Tim. 5, 1). Per accidens tamen excusatur a correptione quando prudenter timet ne deinceps superior ipsum vel male tractet, vel torvis aspiciat oculis, etc.

345 *C. VIII.*—Calpurnia videt Lucinam filiam nimium deditam vanitati. At cum ipsa sit vanitati dedita, filiam corripere non audet.

Sol.—Peccator non dispensatur a caritatis actibus; sed cum exempla magis moveant quam verba et fundata spes desit successus quandiu Calpurnia indulget pari aut maiori vanitati, incipiat mater modestiam profiteri ut filiam efficaciter corripiat verbo si bonum exemplum insufficientis.

VIII. BELLI MORALITAS

Doctrina.

346 Bellum contrariatur paci, quae directe est opus caritatis et tantum indirecte iustitiae (312); de eo igitur. cum D. Thoma \ in hoc tractatu². I

Definiri solet: congressio vi et armis inter exercitus extraneos, diversarum nempe civitatum sive nationum.

* S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II. q. 40.

3 «Aptissime, ut solet, scribit Angelicus Doctor, veram germanamque pacem ad caritatem potius quam ad iustitiam pertinere, cum haec quaecumque pacem impediunt removeat, ut iniurias, ut damna; pax vero sit proprie et peculiariter caritatis actus» (Pius XI. enc. *Ubi arcano*. 23 dec 1922; AAS 14 [1922], p. 686).

Distinguitur autem: offensivum, cuius finis est obtentio boni non habiti; et defensivum, pro boni possessi retentione.

Porro de belli, in genere, liceitate (positis ponendis) nullum dubium inter theologos catholicos, nam si ius est cuilibet individuo ut vi repellat vim sibi iniuste illatam, ius adest a fortiori auctoritati publicae ut vi repellat vim iniuste illatam communi bono, cuius sibi est cura.

Eiusdem sententiae fuerunt Patres et antiqui Doctores; qui, si Lactantium, Origenem et Tertullianum excipias, non damnarunt bellum aut militiam, quamvis dissuadeant passim vitam militarem ob pericula moralia imorum corruptionem) et religiosa (v. gr., quando milites jubebantur sacrificare falsis diis).

Praesumptio stat igitur contra illos qui appellant ad 347 Evangelium pro belli illicite; textus quos invocant admittunt alium sensum. Sic ad verba: «Beati pacifici» (Mt., 5, 9), D. Thomas: «Etiam illi qui iuste bella gerunt, pacem intendunt» ad Domini praeceptum: «Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram» (Mt., 5, 39), ipse Angelicus Doctor: «Huiusmodi praecepta, sicut Augustinus dicit, in libro *de Serm. Dom in Monte*, semper sunt servanda in praeparatione animi: ut scilicet semper homo sit paratus non resistere vel non se defendere si opus fuerit. Sed quandoque est aliter agendum propter commune bonum, et etiam illorum cum quibus pugnatur» 2; ad mandatum quoque: «Diligite inimicos vestros» (Mt., 5, 44), recolendum est quod supra (287) diximus; denique, quod ad Christi sententiam: «Omnes oui acceperint gladium, gladio peribunt» (Mt., 26, 52) haec Aquinas: «Sicut Augustinus dicit, in II lib *contra*

1 S. Thomas, *l. c.*, a. 1, 3m.

« Id., *ibid.*, 2m.

Manich., ille accipit gladium qui, nulla superiori aut legitima potestate aut iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur Qui vero ex auctoritate principis vel iudicis, si sit persona privata; vel ex zelo Iustitiae, quasi ex auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio utitur, non ipse accipit gladium, sed ab alio sibi commisso utitur. Unde ei poena non debetur»¹.

De cetero, authentica interpretatio doctrinae Christi fuit commendata Ecclesiae (1), quae licitum declaravit bellum contra Tureas (Denz. 774), promovit cruce signatorum expeditiones, approbavit Ordines Militares² et damnavit principium de non-interventu (Denz. 1762).

348 Quoniam autem pro ineundo bello oportet adsit causa proportionata malis quae bellum et comitantur et consequuntur, opportune Vitoria: «Stat quod bellum sit iustum et licitum per se, illicitum autem per accidens; stat enim quod quis habeat ius ad recuperandam civitatem, aut provinciam, et tamen ratione scandali fiat prorsus illicitum. Cum enim bella geri debeant pro bono communi, si ad recuperandam unam civitatem, necesse est quod sequantur maiora mala in Republica..., indubitatum est quin teneatur Princeps potius cedere iuri suo et abstinere se bello»³. Immo, ipsius Vitoriae verbis, «cum una Respublica sit pars totius orbis, et maxime Christiana Provincia pars totius Reipublicae, si bellum utile sit uni Provinciae aut Reipublicae cum damno totius orbis aut Christianitatis, puto eo ipso bellum esse iniustum» Quae quidem

¹ S. Thomas, *l. c.*, 40, 1, Im.

² Cf. Vl. K., 188. 3.

³ Vitoria, rei. *De iure belli*, n. 33, ed. 1765.—«Il ne suffit donc pas d'avoir à se défendre contre n'importe quelle injustice pour utiliser la méthode violente de la guerre. Lorsque les dommages entraînés par celle-ci ne sont pas comparables à ceux de l'injustice tolérée, on peut avoir l'obligation de subir Vinjustice» (Pius XII, ailoc., diei 19 oct. 1953; AAS. 45 [1953], pp. 748 s.).

⁴ Id., rel. *De potestate civili*, η. 13, ed. 1765,

mala multo graviora nunc esse timenda quam antiquitus, ob internationalem communicationem, civilem, militarem atque oeconomicam, experientia lugens nos docet ".

Iuste initum bellum gerendum quoque est iuste. Tenentur igitur bellantes ab omnibus quae naturali iure vel gentium sunt cuique vetita; ab eis insuper quae ultro citroque signato pacto vel conventionem ipsis fortasse prohibentur. Insuper «oportet illud gerere non ad perniciem gentis, contra quam bellandum est, sed ad consecutionem iuris sui et defensionem patriae et reipublicae suae, et ut ex illo bello pax aliquando et securitas consequatur» 2. Nec umquam licet per se, directe, ex intentione, occidere innocentes. 349

Casus primus.

Eligius, firmiter cuicumque bello contrarius, omnibus mediis quaerit ut renuat appellationem ad stipendia militaria merenda. 350

Primo anno potuit appellationem effugere latitans in silva; cum vero inventus fuisset et de evasione accusaretur, accusationem libenter sustinuit ex motivis religiosis conscientiae, quatenus mordicus adhaereret thesi sequenti: D. N. Iesus Christus in Evangelio bellum damnavit.

Ne vero ad servitium militare vi compelleretur, ultroneus graviter se vulneravit abscissione manus dexterae.

• Tamen Pius XII: «La communauté des peuples doit compter avec les criminels sans conscience, qui, pour réaliser leurs plans ambitieux, ne craignent pas de déclencher la guerre totale. C'est pourquoi, si les autres peuples désirent protéger leur existence et leurs biens; le plus précieux et s'ils ne veulent pas laisser les coudées franches aux malfaiteurs internationaux, il ne leur reste qu'à se préparer pour le jour où ils devront se défendre. Ce droit à se tenir sur la défensive, on ne peut le refuser, même aujourd'hui à aucun Etat» (allocutio diei 3 oct. 1953: AAS, 45 [1953]. P. 733).

«Victoria, rel. *De iure belli*, n. 60.

Post processum et damnationem, poena soluta, occasionem conversationis non perdit ad diffundendam conscientiae obiectionem inter amicos, licet exitu non felici.

Eligium confitentem peccata sua, Remigius confessarius, simpliciter fanaticum credens, absolutum dimittit nihil ei imponens.

Quaeritur:

- 1) Quid sit obiectio conscientiae.
- 2) Quid de ratione agendi confessarii Remigii.

Solutio

351 *Ad Ium.*—Obiectio conscientiae, etsi possit in genere definiri: recusatio oboedientiae legi iniustae, audit communiter recusationem servitii militaris, lege civili impositi, ob motiva religiosa vel moralia. Distinguitur autem absoluta, inde proveniens quod omne prorsus bellum aestimatur iniustum seu illicitum; et relativa, quoad hoc vel illud bellum, hodiernum puta, habitum uti iniustum seu illicitum.

Et quando agitur quidem de obiectione absoluta, agitur proculdubio conscientia erronea, ut patet ex praedictis: bellum enim in genere non est damnandum ob motiva moralia, sive militum, uti corruptio morum, nam huic periculo possunt atque debent milites ips' occurrere, sive aliorum, quoniam petimus ad bellum sive ineundum sive gerendum proportionatam causam; neque ob motiva religiosa, v. gr., appellando, prout Eligius facit, ad Evangelium, quippe quod aliter interpretandum est, nempe secundum Ecclesiae intellegentiam \

* Cf. 1—De facto, maior pars obiectorum conscientiae est acatholicorum. Sic tempore alterius belli mundialis, in Canada ex 10 700 obiec-

Obiectio tamen relativa potest esse recta, cum aliquod 352
determinatum bellum, offensivum maxime (346), possit
esse iniustum, saltem quoniam adsunt alia media, paci-
lica, componendi litem aut quoniam mala ex bello ti-
menda, nationalia et internationalia praecipue, non com-
pensant bona quae ex victoria sperantur. Et si quidem
certus de iniustitia belli nequeat militiam agere, dubius
autem de eius iustitia prohibeatur quin sponte militiam
adeat, practice, nihilominus, qui vocatur ad bellum te-
netur se adoptare exercitui et bellum gerere: princeps
etenim non tenetur rationes belli subditis exponere¹, sicut
nec legislator rationes legis; et in causis internationali-
bus hodiernis cives carent mediis necessariis pro belli
iniustitia pronuntianda. Hinc quod conscientiae obiectio
relativa ad bella hodierna sit improbanda prorsus 2. Nec

toribus, non nisi 28 erant catholici; in Satitibus Foederatis, ex 30.000,
tantummodo 150 pertinebant ad Ecclesiam (Messineo, *Obiezione di cos-
cienza*, in *Enc. Catt. Ital.*, vol. IX. col. 17 s.).

1 «Princeps nec potest semper, nec debet reddere subditis rationem
belli; et si subditi non possint militare nisi postquam scirent Iustitiam
belli, Respublica periclitaretur vehementer et pateret iniuriae hostium»
(Vitoria. *I. c.*, n. 31).

3 Iam Cone. Mechlinense V (1937): «In specie, quod leges militares
spectat in hodiernis nostrae patriae adiunctis, obiectionem conscientiae
illegitimam declaramus ac prorsus reprobamus... Si verum est principium,
in bello evidenter iniusto nemini licitum esse partem habere, practice
etiam verum est, orto de iustitia belli dubio, praesumptionem stare pro
principe praecipiente, cum praesertim subditi, in causis internationalibus
maxime intricatis, ad iudicandum cum certitudine apta inquisitionis me-
dia sibi comparare nequeant» (n. 24; in *Periodica de re moraci* etc.. 29,
1940. p. 201).—Et Pius XII: «E' manifesto che nelle presenti circostanze
può verificarsi in una Nazione il caso, in cui. risultato vano ogni sforzo
per scongiurarla, la guerra, per difendersi efficacemente e con speranza
di favorevole successo da ingiusti attnchi, non potrebbe essere conside-
rata illecita. Se dunque una rappresentanza popolare e un Govemo eletti
con libero suffragio, in estremo bisogno, coi legittimi mezzi di politica
estera ed interna, stabiliscono provvedimenti di difesa ed eseguiscano le
disposizioni a loro giudizio necessarie, essi si comportano in maniera non
immorale, di guisa che un cittadino cattolico non può appellarsi alia pro-
pria coscienza per rifiutar di prestare i servizi e adempiere i doveri fis-
sati per legge» (Radiomessaggio del Natale 1956; AAS, 49 [1957], p. 19K

ipsum bellum atomicum (ABC warfare) damnavit Plus XII indiscriminatim id est universaliter seu in omni eventu. Ideo, quandiu usus armorum atomicorum non prohibeatur international! pacto seu conventionione, nationes oportet sint paratae pro casu in quo illorum adhibitio ex iure naturali manet licita.

35? *Ad Illum.*—Supponitur Remigius imposuisse Eligio congruam paenitentiam; eum siquidem absolvit. Quaestio propterea. num recte egerit nullam ipsi imponens damnorum compensationem et scandali reparationem pro praeterito, silentium pro futuro.

Et compensationem quidem damnorum quae ex Eligii sive evasione sive mutilatione passus est Status non debuit confessarius imponere: in primo etenim casu libenter accusationem ille sustinuit propter motiva religiosa; fuit ergo aut absolutus, et tunc Status condonavit, satisfactionem, aut multatus poena, et tunc ingredimur casum alterum. In quo, profecto, cum impositam poenam lueret, nullam aliam compensationem ab ipso Status postulat.

Ab imponenda quoque compensatione pro damnis privato civi illatis potuit iure Remigius abstinere. Damna dicimus quae ex dolosa Eligii subtractione alius determinatus civis sustinere debuit, quod in partiali conscriptione, uno se dolose subtrahente, onus alius portare co-

1 Ad quaestionem: «La guerre totale moderne, la guerre A. B. C., en particulier, est-elle permise en principe?». Pius XII respondit: «Il ne peut subsister aucun doute, en particulier à cause des horreurs et des Immenses souffrances provoquées par la guerre moderne que déclancher celle-ci sans Juste motif (c'est-à-dire sans qu'elle soit imosée par une injustice évidente et extrêmement grave, autrement inévitable), constitue un *délit* digne des sanctions nationales et internationales les plus sévères. L'on ne peut même pas en principe poser la question de licéité de la guerre atomique, chimique et bactériologique, sinon dans le cas où elle doit être jugée indispensable pour se défendre dans les conditions indiquées» (Allocutio diei 30 sept. 1954; AAS, 46 [1954], p. 589).

gitur qui erat liber ab onere. Licet etenim, in sententia probabiliori, Eligius sit huius damni causa efficax, praeterquam iniusta, confessarius forsitan est mitioris opinionis, aut ideo excusat Eligium a damnis compensandis quod horum, tametsi causa efficax, non fuit causa formaliter seu culpabiliter iniusta, ob erroneam eius conscientiam: tenebat enim mordicus bellum in Evangelio condemnatum.

Reparationem quoque scandali poterat confessarius non urgere, nam Eligii praedicatio inter amicos dicitur infecunda. Si nemo ergo auditorum, quoniam omnes Eligium fanaticum satis noverant, huius sive verbis sive argumentis fidem adhibuit, scandalum fuit datum, non attamen acceptum.

Quid, denique, de imponendo silentio pro futuro? 354
 Nonne tenebatur confessarius ab Eligio exigere, sub poena quoque denegatae absolutionis, ne pergit obiertionem conscientiae propugnare? Liquet etenim nullum omnino ius errorem spargendi, officium immo civibus incumbere ut ab opinionibus, bona quantumvis fide exceptis, propalandis abstineant quae communi bono sunt noxiae; porro quando plures, praedicatori nostro fidentes, recusarent militare servitium, hostes fierent audaciores atque contra patriam validiores. Remigius igitur est carpendus quod Eligium non districte vetuit ne propriam opinionem, quam difficile emendabit, ipsi cum Eligius adhaereat mordicus, ceteris instillet. Saltem nisi confessarius, nec temere, praevideat ulteriorem quoque praedicationem, quem ad modum et praeviam, nullum felicem exitum habituram, quoniam ceteri quoque facile tangent Eligii fanaticum nec eius verbis aut argumentis movebuntur.

A lii casus.

355 C. II.—Laurus, militarismo addictus, bellum supra pacem extollit quod in illo cives exerceant actus plures heroicis, in hac, e contra, ignavia consummantur et deliciis tabescant.

Sol.—Iam de Lacedaemoniis dixerat Aquinas post Philosophum: «Vacantes rebus bellicis se exhibebant promptos ad oboediendum legislatori propter consuetudinem militaris vitae, quae multas in se continet partes virtutis. Requirit enim talis vita maximam oboedientiam et abstinentiam a delitiis et perseverantiam in laboribus et rebus dolorosis» \ Attamen ipse Angelicus: «Pax reipubiicae est secundum se bona, nec redditur mala ex hoc quod aliqui male ea utantur. Nam et multi alii sunt qui bene ea utuntur: et multo peiora mala per eam prohibentur, scilicet homicidia, sacrilegia, quam ex ea occasionentur, quae praecipue pertinent ad vitia carnis» 2.

356 C. III.—Philoromus, centurio religiosus, petit a confessario num habenda sit sufficiens causa belli exterarum nationis incrementum quo conatur nostram aequare et superare numero, labore vel industria.

Sol.—Negative, quandiu incremento externa natio vacet absque iurium nostrorum violatione.

351 C. IV.—Inter nonnullos decuriones quaestio agitur utrum perpetuo desit causa belli legitima si natio nostra indigeret vel spatio vel rebus ad vitam necessariis, prohiberetur attamen a natione spatiosiore vel ditioe ea sibi comparare mediis pacificis, v. gr., emptione, emigratione. Negat Zenobius vehementer.

* S. Thomas, In 2 *Polit.*, lect. 13, ed. Spiazzi, n. 304.

' Id., *Summa Theol.*, II-II, 123, 5, 3m.

Sol.—Recte quidem. Sed quoniam facile exaggeramus iura nostra ceterorumque officia, practice perdifficile est determinare quousque se extendant indigentia nostra et superfluum extraneorum.

C. V.—Diligenter examinata fortuna belli, duces exercitus decreverunt globulo seu pyrobolo atomico oppugnare civitatem apertam ut inde flecteretur hostium bellantium animus. Putarunt etenim illo globulo centum millia pacificorum civium—pueros, senes vel feminas—occidendos, at simul millia millium salvandos, in bello protacto perituros. 358

Sol.—Duces illi allucinati sunt, quasi principium, quod dicitur, duplicis effectus (I, 159) peteret dumtaxat effectum bonum compensare malum una cum intentione consequendi bonum effectum. Quoniam ulterius exigit ne effectus bonus obtineatur mediante effectu malo. Sed in casu, uti liquet, millia millium salvantur ideo quod centum millia interimuntur.

C. VI.—Optime consciis quod natio extera habitualiter machinatur contra patriam et quod procrastinatio ex parte nostra potest esse funesta patriae defensionis, licetne nobis nunc globulum seu pyrobolum atomicum immittere in illius nationis armamentoria ut ita destruamus robur eius bellicum? 359

Sol.—Ancipitis aleae plena res Nonnulli pronuntiarunt nihil esse mali in inimicis deterrendis comminatione tam exitialis globuli. Verum potest contingere inimicos, dicentes se globulum immissuros in nos, nihil aliud intendere praeterquam timorem nobis incutere. Licetne mihi hominem occidere ideo tantum quod dicit se me occisurum? Inclinant alii huic alteri sententiae, ut ad inimicos terrefaciendos proclamemus nos plane paratos globulo atomico adhibendo promiscue seu indiscrimina-

tim. Quae tamen sententia reicienda. Fas est quidem inimicis notificare nos promptos esse qui efficacem defensionem opponamus eorum aggressionibus; fas est pariter illos admonere de periculo practice probabili ne defensio nostra terminos exsuperet moderatae tutelae quam corde meditamur—practice etenim centuriones et milites bellum prosequentes non facile continentur intra fines mandati sibi dati a ducibus vel a gubernio—, quapropter quemvis abusum ex parte inimicorum practice habiturum abusum ex parte nostra consecarium. Sed conari ut inimici credant nos fovere intentionem pravam, forsitan et peiorem quam ipsi foveant, foret eos excitare ad defensionem praeviam.

360 C. VII.—Num milites qui in bello fiunt captivi sint poena multandi?

Sol.—Sunt quidem privandi libertate ne ulterius noceant, ad cautelam bellicam; at nisi agatur de criminosis, nulla alia poena plectendi sunt. Quoniam ut ait Vitoria, «subditi non tenentur, nec debent examinare causas belli, sed possunt sequi Principem suum in bello, contenti auctoritate Principis et publici consilii: unde pro maiori parte, licet ex altera parte sit bellum iniustum, tamen milites qui veniunt ad bellum et pugnant in bello aut defendunt vel oppugnant civitatem ex utraque parte, sunt innocentes, et ideo cum iam victi sunt et non est periculum ab illis, credo quod interfici non possunt, non modo omnes, sed nec unus quidem ex illis, si praesumitur quod bona fide in praelium venerunt» *

Huc e volumine superiore Casus accedant: Obiector conscientiae tempore belli (I, 187); Lex conscriptionis militaris (I, 389). I

* Vitoria l. c. n. 48.

IX. PERTURBATIO REGIMINIS TYRANNICI

Doctrina.

Tyrannus (princeps aequae ac gubernium) alius regimine, alius usurpatione dicitur. Ille est qui titulo legitimo adeptus potestatem legislativam vel executivam, ea non in commune bonum utitur sed abutitur in privatum—suum vel paucorum, puta amicorum—commo- 361 dum. Hic autem est qui sine titulo legitimo principatum usurpat vel eo potitur.

Tyrannus propterea usurpatione potest considerari in actu usurpationis atque post usurpationem consummatam.

Et tyrannus quidem usurpatione cum in ipso usurpationis actu gerat bellum iniustum—iniustum, inquam, 362 in legitimum principem, et iniustum quoque in rempublicam quam privat iure constituendi sibi principatum—*per se* dat locum defensivae licito bello: est invasor iniustus, iniustus aggressor innocentis—legitimi principis ac reipublicae—, cuius vim vi repellere licet, cum inculpaetae tutelae moderamine. Immo. quoniam usurpatione consummata non ipso facto tyrannus adipiscitur titulum principandi—vis enim physica, licet praevalens, non confert ius morale—, quandiu iniuste principatum detentat, a pristina aggressionem non recedit; *per se* igitur ius defensionis possidet

† Interdum attamen, *per accidens*, bellum defensivum illicitum contra usurpatorem. Quod enim suscipiendum est in commodum reipublicae. oportet ne bellum cedat in gravius eiusdem nocumentum: de hoc iudicet maior pars atque sanior populi. Quae prae oculis quoque habeat temporalia esso spiritualibus postponenda et divitias honori nationis. nimiam pariter indulgentiam, a cooperatione quantumcumque alienam, et animum adicere usurpatoribus et ansam praebere posse ulteriori oppres-

Si tamen qui usurpationem consummavit communi post intenderet civium commodo, a republica poterit obtinere acceptationem sive consensum, quo possessio facti transibit in possessionem iuris, auctoritatis seu principatus. Nec legitimus hucusque princeps erit semper huic iurium translationi rationabiliter invitus; quoniam non est regnum propter regem, verum rex propter regnum.

363 Gravior occurrit difficultas de tyranno regimine.

At regiminis tyrannici plures gradus. Alius enim abusus potestatis iegislativae aut executivae per modum actus, et alius abusus systematicus seu habitualis. Iniqua quidem lex quae tributa imponeret ultra civium vires aut non servata debita proportione: et multo iniquior lex quae Christianos averteret a fide aut subditos adduceret ad morum corruptionem.

Huic etiam regimini multiplex excogitari potest resistentia: passiva, nempe, et activa; haec altera, legalis et illegalis; postrema, denique, civilis seu pacifica atque militaris sive bellica l.

364 Et resistentia quidem passiva contra tyrannicum regimen, per se loquendo, est licita: nemo enim, per se, obligatur lege nisi iusta; est autem iusta quae ordinat in commune bonum, fertur a competenti auctoritate atque attingit subditos ad proportionem debitam. Quapropter lex humana quae non conferat in commune bo-

sioni. At temporanea huiusmodi sublectio, in his rerum adiunctis, nihil detrahit iuri defensionis—cuius penes legitimum principem et populum suspendit exercitium—neque purgat aggressionis titulum; mutatis propterea circumstantiis, defensivum bellum erit licitum. J

l *Resistentia passiva* nihil innuit praeter inoboedientiam. *Resistentia activa legalis* positivam dicit contrarietatem mediis lege reipublicae sancitis. *Resistentia activa illegalis civilis* seu pacifica contrarietatem mediis reipublicae lege vetitis absque armorum tamen subsidio sive recursu ad arma. *Resistentia*, demum, *activa illegalis militaris* seu bellica contrarietatem armatam nominat.

num, exsuperet legislatoris potestatem, dividat inaequaliter civium onera, deficit a iustitia. Ergo ex sese non obligat

Sed et contra regimen tyrannicum resistentia activa legalis est licita uti plurimum. Nisi enim media iure reipublicae sancita repugnent bonis moribus—lex etenim humana non est morum suprema regula—, aut periculum maioris mali consulat ne utantur cives privilegio legis, activa haec resistentia nulli officio adversatur. Immo officio respondet quo adstringuntur cives ad commune bonum, cuius interest maxime ne regimen tyrannicum toleretur. Si iure igitur fundamentalis civitatis recursus sit possibilis ad principem tyranno superiorem, vel facultas conferatur reipublicae tyrannum indicandi, corripiendi, puniendi, ab his non est mediis abstinendum.

Neque resistentia activa et illegalis semper est illicita 365 pronuntianda. Nam sicut interdum permittit lex humana quae superiori lege sunt vetita, interdum quoque prohibet quae ex iure superiori forent permittenda; utroque humana lex iniusta. His igitur mediis licebit uti. QUO in casu non resistitur auctoritati sed violentiae, non iuri sed iuris abusu, non principi sed iniusto aggressori proprii iuris in actu aggressionis»¹. Quia tamen minus malum est sustinendum ubi immineat maius, illegalem hanc resistentiam omittamus oportet ne sequantur graviora incommoda. Sicut ergo prae mediis illegalibus legalia—si spes affulgeat exitus—sunt tentanda, ab illegalibus oportet abstinere si resistentia inefficax et noxia.

i Potest autem obligare *per accidens*, ob vitandum maius malum, privatum aut reipublicae. Sicut et valet superior lex eius obstare adimpletioni; ubi humana siquidem contradicat divinae—naturali vel positivae—, illi obsequiosus non excusaretur a peccato.

J Ziglaxana, *Summa Phil.*, Mor. 55, XVII.

Haec immo resistentia activa et illegalis, si civilis, dicenda est non raro obligatoria. Agitur enim de scriptis clandestinis, de comitiis secretis de operistitiis vetitis, de tributorum defraudatione, de frustranda tyranni activitate, contentione, exitu. Quae omnia media, si ponantur licita simul atque efficacia, interdum commune bonum postulat reducantur ad praxim.

366 Ipsa denique resistentia activa illegalis et bellica contra tyrannicum regimen est nonnumquam licita aequae ac obligatoria. Si enim princeps sive gubernium ad tantam tyrannidem perveniat ut systematice, habitualiter, imminenti discrimini committat salutem publicam, privet populum summis atque essentialibus bonis eius, conculcet fundamentalia iura subditarum, adsit spes quoque de resistentiae bellicae efficacia, saltem de compensandis exitu—physico aut morali—mala ex bello imminencia, bonum commune postulat ut defendatur contra iniustum aggressorem populus innocens. Non agitur vindicta, postquam iniuria fuit consummata; tyrannus huiusmodi actu, saltem moraiiter, vim infert, quam licet vi repellere; regimen est simile violentiae latronum, et ideo sicut licet resistere latronibus, sic et malis principibus l.

Casus primus.

367 Exorto in finitima natione bello civili, ut dicitur, quaestio agitata fuit in coetu sacerdotum de huius belli moralitate. Et fere quidem omnium sententia bellum erat, circumstantiis cunctis perpensis, prorsus licitum. Contra quos tamen stetit Modoaldus, quoniam agebatur de seditione, quam D. Thomas docet peccatum esse gra-

l S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 69. 4.

ve, et quoniam duceret perfacile usque ad tyrannicidium, ab Ecclesia reprobatum et condemnatum.

Quaeritur: Num duplex haec obiectio sit revera valida?

Solutio

Praemittamus Angelicum Doctorem, postquam seditiosos damnavit de mortali \ haec alia protulisse expressa verba: «Regimen tyrannicum non est iustum quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis, ut patet per Philosophum in 3 *Polit.*, et in 8 *Ethic.* Et ideo perturbatio huius regiminis non habet rationem seditionis; nisi forte quando sic inordinate perturbatur tyranni regimen quod multitudo sublecta maius detrimentum patitur ex perturbatione consequenti quam ex tyranni regimine. Magis autem tyrannus seditiosus est, qui in populo sibi subiecto discordias et seditiones nutrit, ut tutius dominare possit. Hoc enim tyrannicum est: cum sit ordinatum ad bonum proprium praesidentis cum multitudinis nocumento» 2. 368

Bellum ergo civile non est cum seditione confundendum. Sed oportet bene perpendatur num maius detrimentum immineat multitudini ex suscepto bello civili quam ex ipso regimine tyranni. «Potest enim contingere ut qui contra tyrannum agunt praevalere non possint, et sic provocatus tyrannus magis desaeviat. Quod si praevalere quis possit adversus tyrannum, ex hoc ipso proveniunt multoties gravissimae dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur, sive post deiectionem tyranni erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes. Contingit etiam ut interdum, dum alicuius auxi- 369

» S. Thomas, *l. c.*, 42, 2.

* Id., *ib.*, 3m; cf. etiam q. 37. a. 1. 2m.

lio multitudo expellit tyrannum, ille, potestate accepta, tyrannidem arripiat, et timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori servitute subditos opprimat»

370 Propositio autem in Cone. Constantiensi reprobata haec erat: «Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcunque vasallum vel subditum..., non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscumque» (Denz. 690). Quapropter vetitum quidem est ne tyrannus regimine occidatur privata auctoritate—nisi in actu aggressionis, quae alias repelli nequeat, contra vitam civis vel reipublicae.

Nec tamen raro contra huiusmodi tyrannum bellum iustum indicitur, cuius possibilis quidem exitus—una cum libertate a tyrannide—mors tyranni. Ideo Bafiez: «In casu quo rex tyrannice gubernet, potestas erit in republica ad deponendum principem, vel etiam ad occidendum pro defensione ipsius reipublicae» 2.

371 His dictis quoad tyrannum regimine, verbum dum-

1 S. Thomas, op. *De regimine principum*, seu *De regno*, I. 7; ed. Spiazzi, n. 768.—«Nos seremos nosotros quienes disimularemos las desventajas de los movimientos armados contra el poder civil...: 1.º Dificultades de organización. Infidelidades, traiciones, delaciones. A la hora de la verdad defecciones. 2.º Exito comprometido. El poder de los modernos Estados es formidable. El himno de la victoria lo cantarán, casi siempre, las ametralladoras y los aviones. 3.º Consecuencias, siempre tristes. Cadáveres. Sangre, Luto. 4.º En la derrota, represalias del poder vencedor. 5.º En el triunfo, estímulo para la venganza de los vencidos... Pongámoslos en la balanza, a un lado, todos esos fieros males. Pero pongámoslos al otro, cuando se dé el caso, la tiranía de un poder brutal. Una opresión servil. Una legalidad anárquica. La perspectiva de años y años de lucha estéril, que acaso no logre—al cabo de muchos—sino apenas la no aplicación de una ley. Pongámoslos una tiranía, adueñada del poder, que de la ley se sirve precisamente para hacerse inexpugnable... Una disolución moral, una disgregación nacional, una destrucción de la patria... f. ¿Qué pesará más? Pues cuando se viera que a todo esto no se pondrá remedio sino por un hecho de fuerza, ¿no sería preferible afrontar de una vez el peligro y dar la batalla decisiva?» (De Castro Albarrán, *El derecho al alzamiento*, pp. 295 S., ed. 1941).

« Banez, *De iure et iustitia*, in q. 64. a. 3, ed. 1595, p. 205.

taxat adiciendum quoad tyrannum usurpatione. Quandiu usurpatio non sit legitimata. tandiu hic gerit in civitatem iniustum bellum et propterea potest occidi a civitate et cive, iure belli, immo et ab extero iure defendendi innocentem. Ipsemet D. Thomas: «Tullius loquitur in casu illo quando aliquis dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, et quando non est recursus ad superiorem, per quem iudicium de invasore posset fieri: tunc enim qui ad liberationem patriae tyrannum occidit laudatur et praemium accipit» l.

A l i i c a s u s .

C. II.—Loquebantur nonnulli duces militum de necessitate insurgendi contra principem qui tyrannice prorsus gubernabat. Opposuit attamen Timotheus populum quidem habere ius sibi providendi de principe, hunc autem semel et modo absoluto designatum non amplius posse, absque iniuria et infidelitate, destituere 372

Sol.—«Si ad ius multitudinis alicuius pertineat sibi providere de rege, non iniuste ab eadem rex institutus potest destrui vel refrenari eius potestas, si potestate regia tyrannice abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere tyrannum destituens, etiam si eidem in perpetuo se ante subiecerat; quia hoc ipse meruit in multitudinis regimine se non fideliter gerens ut exigit regis officium, quod ei pactum a subditis non servetur. Sic Romani Tarquinius superbum, quem in regem sus-

¹ S. Thomas, in 2 *Sent.*, d. 44. q. 2. a. 2. 5m.—Vitoria tamen animadvertit: «Nihilominus est periculosum quod fiat sine tumultu et sine eo quod vergeret in damnum reipublicae. Unde oportet quod, omnibus pensatis. fiat, pensato commodo reipublicae, et sine seditione et periculo reipublicae. et habita spe de nece tyranni» (in 11-II, 64. 3, n. 5, ed. Beltrân de Heredia).

ceperant, propter eius et filiorum tyrannidem a regno eiecerunt» * Populus ergo qui principem constituit in commune civitatis bonum, non renuntiat, neque valide posset renuntiare, mutationis iuri: principis designatio, quantumcumque dicatur absoluta, bono reipublicae condicionata manet.

- 373 *c. III.*—Montanus, parochus, interrogatus a signiferis cuiusdam politicae factionis, de licetate resistentiae activae in tyrannum regimine, eam quidem approbat a communi bono postulatam, contentam tamen intra media legalia; horum si terminos excedat, est, eius sententia, reprobanda.

ii
G.

Sol.—Media legalia non sunt ut plurimum sufficientia: astutus siquidem tyrannus, praeterquam in regiminis fulcimentum plura faciet legalia quam sint licita, nulla permittet fieri quae, quantumcumque licita, periculosa sint regimini. Quia tamen minus malum est tolerandum ubi maius immineat, ab illegal! resistentia abstinendum est ne sequantur graviora incommoda. Quapropter parochi responsio non fuit satis accurata: illicitum per accidens potest esse licitum per se.

- 374 *c. IV.*—A resistentia illegal! bellica nonnulli theologorum abhorrent quod ipsam putant a D. Thoma e Christianis moribus exclusam; dixit etenim: «Si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Eius enim potentiae subest ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem» 1 *

Sol.—D. Thomas loquitur in casu extremo, cum sci-

1 S. Thomas, op. *De regimine principum*, I, 7, n. 770.
» Id., *L. c.*, n. 772.

licet auxilium hominum haberi nequit, seu cum nihil aliud est homini possibile, prout iam Cordovan! animadvertit |; quapropter cum populus non valet arma sumere, vel cum arma sumentibus spes fundata deest tyrannum debellandi, vel cum mala ex bello timenda sunt peiora ipsa tyrannide.

C. V.—Gorgonius, cappellanus militum, quosdam audivit officiales exercitus parare insurrectionem bellicam contra gubernium vere tyrannicum. Conatur ergo insurrectionem impedire, suadens resistentiam mere passivam, aut activam legalem, saltem illegalem sed civilem. 375

Sol.—Gorgonius bene fecit, quandiu tyrannis devinci possit mediis istis pacificis. Resistentia etenim passiva parit minora incommoda, quam activa; activa legalis quam activa praeter et contra leges; illegalis civilis quam bellica.

C. VI.—De iudice contendunt viri catholici cuius sit prudenter iudicare de belli opportunitate et liceitate in regimen tyrannicum; alii iudicium deferunt episcopis nationis; quod alii relegant ducibus exercitus Quid tenendum? 376

Sol.—Iudicium quidem de armorum sufficientia pertinet ad duces militares—quorum est igitur sententiam dare de fundata spe felicitis exitus—; iudicium vero de sufficientia causae ad eos omnes spectat qui ob civicas virtutes sunt populi optimates—in his, abs dubio, episcopi.

X. SCANDALUM

Doctrina.

377 Scandalum, etymologice, offendiculum nominat seu obicem positum in via, cui impingens viator disponitur ad casum. Ad ordinem moralem vox translata id omne significat quod praebet proximo ansam spiritualis casus vel ruinae. Hinc definitur: Dictum vel factum | minus rectum ¶ praebens occasionem | ruinae seu peccati⁴.

Dictum vel factum huiusmodi, cum praebet occasionem peccati, dicitur escandalum *activum*, ut distinguatur a scandalo *passivo* seu a peccato in quod proximus labitur occasione illius dicti aut facti.

Et si quidem dictum vel factum non sit malum, malum tamen appareat ob unam malitiam circumstantis, habetur scandalum passivum *pharisaicum*, seu mere acceptum; si sit, e contra, malum aut speciem mali prae se ferat, habetur scandalum *pusillorum*, qui periclitan-

1 Non sufficit *concupitum* nec ideo *cogitatio*: quoniam actus interni latent proximum, cui propterea non datur occasio peccandi: ergo voluntas scandalizandi seu scandali mere affectivum nondum est scandalum—licet peccatum contra caritatem, qua tenemur proximis velle bonum—. Econtra, *omissio* dicti vel facti potest esse ceteris manifesta; ea igitur scandalum possibile. I

1 Dicitur *minus rectum*, non quia minus bonum, sed quoniam malum est aut habens speciem mali: actus enim bonus, ideoque dictum vel factum perfecte rectum, magis munit proximum contra casum quam ad casum disponat.

3 Dicitur *praebens occasionem*, quoniam vera causa peccati: proximi una est eius voluntas; insuper quoniam non requiritur lapsus proximi, verum occasio 'apsus.

4 Occasionem requirimus *ruinae seu peccati*; «essentia scandali non est igitur quaerenda in admiratione causata, nec in stimulata cognitione, nec in irritatione producta; sed in eo quod praebere potest, seu capax est praebendi *ansam*, seu causam occasionalem peccandi, v. gr., si ad minimum sequeretur iudicium temerarium, suspicio iniusta, rumor» (Marc. *Inst. Mor.*, I, 505. ed. 1927).

tur ex infirmitate vel ignorantia, ideoque scandalum acceptum quoniam datum.

Scandalum activum in *directum* atque *indirectum* 378 subdividitur: *directum* dicimus quod habet lapsum proximi obiectum voluntatis, prout lapsus hic est volitus aut quatenus noxius proximo—dum quis formaliter vult proximum ruere seu peccare—et tunc vocatur scandalum *diabolicum*, aut quatenus utilis vel delectabilis danti scandalum—dum quis formaliter vult proximum operari opus quo ruit vel peccat—et tunc scandalum *simpliciter directum* nuncupatur; *indirectum* vero, quod habet lapsum proximi praevisum, sed non volitum. Sic femina quae leviores vestes indueret ut, excitata concupiscentia sacerdotis, hic a statu decidat et vocationi valedicat, committeret scandalum diabolicum; simpliciter autem *directum* quae ut, excitata viri libidine, hunc babeat fornicationis complicem, ex quo delectationem vel lucrum sibi comparet; demum, quae, ut se accomodet regionis moribus, augeat vel simulet pulchritudinem, concupiscentiam pravam virorum praevidens dumtaxat, haec non nisi indirecto scandalo locum daret.

Et de malitia quidem scandali passivi nulla agitur 379 quaestio; id enim liquet existere peccatum penes proximum, mortale aut veniale; nec peccare occasione dicti iactive alieni innuit secundum se contrarietatem ad aliquam specialem virtutem, scandalizatum cum contingat ruere in cuiuslibet generis peccata; importat potius circumstantiam minuentem malitiam quae est peccati, prout minus peccat cui occasio offertur quam ille qui quaerit occasionem.

Agitur tamen, eaque practica duplex, de activo 380 scandalo: num videlicet qui dicto vel facto scandalizat proximum ille peccet contra caritatem; an insuper contra virtutem quam laedit proximus scandalizatus. Aliis

verbis, utrum cum herus, detrahens de salario expectato ab operariis, his tribuit blasphemandi occasionem, ipse peccet—praeterquam contra iustitiam, ubi iniusta salarii minoratio—contra caritatem; num etiam peccet, prout scandalizati, blasphemiae peccato.

Verum altera quaestio—quam hic passim Doctores agunt—partim a nostra exsulat, ubi scandalum nempe activum cooperationi efficaci simul ac culpabili aequipolleat (453n), quoniam active sic scandalizans est peccati ab altero patrati vera concausa. Intra terminos autem nunc servandos negotium—si quid aestimo—difficultate caret. Liquet etenim eum qui directe scandalizat peccare peccato ad quod inducit—omnis omnino virtus vetat ne intendamus sive velimus ipsam laedi, a nostris etiam proximis—et propterea obligari ut aperiat in confessione num dicto aut facto intenderit proximum committere adulterium, vel homicidium, vel furtum potius: haec enim habuit volita seu in affectu. Sed nullatenus constat dantem indirectum scandalum malitiam eam contrahere quae inest scandalo passivo, quoniam non demonstratur quamlibet virtutem nos adstringere ne alicui tribuamus meram occasionem violandi ipsam; qui ergo peccat scandalo indirecto, is peccat forsitan contra caritatem, ut mox dicemus, sed non probatur reus iniustitiae, intemperantiae, etc.

- 381 Ad quaestionem vero primam dicendum: Scandalum activum, praeter malitiam quam forsitan habet ex oblecto induit malitiam contra caritatem; directum quidem, semper; indirectum, nisi ratio proportionata excuset. Quoniam dictum vel factum scandalosum, praeter malitiam quam nominat ex sese, ubi dictum vel factum fuerit malum, puta blasphemiam, fornicatio—quamque non nominat dictum vel factum bonum, quantumcum-

que habeat speciem mali—, caritati opponitur quae nos vetat ne proximo valimus malum—praecipue spirituale, temporale longe deterius—aut demus sine causa proportionata (393s) occasionem incurrendi malum.

His dictis de scandali malitia, verbum superest de eiusdem gravitate. Liquet autem scandalum passivum non existere de se peccatum grave: non enim nominat ex propriis culpam mortalem ab eo commissam cui fuit occasio oblata peccandi. Activum vero scandalum dicit peccatum ex genere mortale: suapte namque natura contrariatur caritati, unde legimus: «Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris... Vae homini illi, per quem scandalum venit» (Mt. 18, 6 s.); non est igitur peccatum veniale nisi propter defectum deliberationis aut propter materiae parvitatem—dum quis alteri praebet occasionem ut peccet venialiter.

Scandalum igitur eo erit gravius quo magis influat—ex operis natura aut propter condicionem sive scandalizantis sive scandalizati—in proximi peccatum, hoc sit gravius, fueritque magis volitum. Levius erit, e contra, quo minus influat in peccatum proximi, hocve sit levius aut minus volitum, ob deliberationis puta defectum*.

1 «Peccatum scandali tanto gravius est quanto ruina proximi est maior, et quanto magis intenditur, et quanto magis ex actione nostra sequitur (v. g. datum coram adolescente vel a sacerdote), et quanto numerosiores sunt personae quae ad peccatum moventur» (Merkelbach *Th. Mor.*, I. 959, e. 3).—«Parvitas vel gravitas materiae in casu, potius quam ex parte actionis scandalizantis, pensanda est sive *ex parte ruinae* in quam proximus inducitur, sive *ex parte influxus* actionis scandalizantis in scandalizatum: est enim scandalum praebere alteri occasionem ruinae spiritualis. Sive ergo *ruina* fuerint levis, sive *causa influens* in ruinam fuerit Inefficax vel quasi inefficax, quidquid sit de gravitate actionis emissae a scandalizato, peccatum scandali erit leve; dum, e contra, quoties *ruina proximi est gravis*, et actio scandalosa *efficaciter influit* in talem ruinam, peccatum scandali evadit, ex

383 Sicut caritate tenemur corripere peccantem vel admonere peccatum, eius ergo emendationem procurare vel lapsum praecavere, a fortiori caritate ad id adstringimur, cum maiori ergo incommodo quam ceteri, ubi occasionem dedimus ut proximus peccaverit vel peccet x.

Reparatio autem postulat tum ut ulterior dati scandali influxus auferatur pro posse, tum ut emendationi consulatur eius qui peccavit scandalizatus.

Porro scandalum publicum est reparandum publice, ut reparatio omnibus innotescat atque prosit: nec propterea sufficit ordinarie bonum exemplum, sed requiritur expressa retractatio; satis est interdum si retractatio coram parochio fiat qui postea rem divulget; immo publicus concubiniarius, usurarius, etc., quandoque satis faciunt si, relicto pravo commercio vel negotio, publice atque devote frequentent sacramenta. Scandalum secretum reparandum est coram inde damnificatis; et ubi quidem quis proximum induxerit in stabilem perversionem, tenetur sub gravi adlaborare ut, per se vel per alios, ipsum ad rectum tramitem reducat; ubi tamen proximum induxerit in peccata dumtaxat transeuntia, bonum exemplum sufficit—nisi scandalum datum fuerit per iniqua consilia, quae sedulo revocanda sunt

circumstantiis, mortale, etiamsi forsan actio scandalosa in se fuisset levis. Ita, e. g., si sacerdos ancillam populo suspectam nimis frequenter alloquatur, ex qua actione populus graviter scandalizetur, scandalum erit mortale, etsi illa allocutio leviter tantum, vel etiam nullimode fuisset in se peccaminosa. Ex adverso, qui homini valde prono in gravia peccata committenda levem tantum occasionem praebet mortaliter peccandi, gravi scandalo non peccat, quia grave illius peccatum magis ex eius malitia et prava consuetudine quam ex levi occasione oritur» (Fanfani, *Th. Mor.*, II. 1351.

» Urget insuper obligatio sive ex officio si scandalum superior dederit qui tenetur spirituali bono subditorum consulere, sive ex iustitia si quis inlustis mediis—vi, metu, dolo—alterum induxerit ad peccandum.

quandiu pergunt esse efficacia \ Qui aliud facere nequit, pro scandalizato minimum oret¹

Grave vel damnum vel incommodum excusare potest ab scandali reparatione; quin propterea semper excuset. Obligatio siquidem caritatis non urget uti plurimum cum gravi incommodo. Si quis tamen proximum induxerit in stabilem peversionem, obligatur ex caritate cum gravi incommodo, nam proximus tunc versatur in necessitate gravi et quasi extrema³.

Casus primus.

Valentina, quae ceterum bonis moribus praedita est 384 ac religionis studiosa, cum tamen vestium ornatu ceteris eiusdem condicionis puellis excellere cupiat, haud raro, praesertim cum ad aquas proficiscitur, vestes parum modestas induit.

Confessarius, cui rem aperit, eam vehementer obiurgat ab eaque exigit ut honestiores mores sequatur. At, cum eadem id serio promittere non valeat, confessarius anceps haeret num possit ei absolutionem concedere

Quid ad casum?

¹ Marc, *Inst. Mor.*, I. 513. ed. 1927.—Superioris scandalum datum subditis reparandum est his manifestando displicentiam de pravo exemplo et adhortatione ne ipsum sequantur. Qui scandalum dedit medio inlusto. id reparare tenetur influxum actionis coercendo, sic videlicet quod proximus non amplius vi, metu, vel dolo ducatur ad peccandum (Marc. *l. c.*, n. 514).

• Quia sacramenta nequeunt indignis ministrari, illicite quis ad sacramenta admitteret non reparantes grave scandalum. In praxi oportet saepius modum reparationis determinari a confessario, a parrocho, a viro probato.

³ F'nfant, *l. c.*, n. 138.—Ab obligatione ex iustitia grave incommodum non dispensat, cum iustitia obliget etiam cum magno incommodo ad damnorum reparationem (Fanfani, *ibidem*).

Solutio

385 Valentina dicitur non raro vestibus parum modestis indui, maxime cum ad aquas proficiscitur, sed hac una intentione ut puellis eiusdem condicionis ipsa excellat. Agit propterea ex vanitate, nec intendit viros inducere ad peccatum. Hoc ex capite levem incurrit culpam.

Quousque tamen eius se extendat immodestia, non satis constat; at vestes *parum modestae* ab *immodestissimis* certo distant; puella, de cetero, bonis moribus praedita studiosaque religionis laudatur; ergo videtur induigere denudationi modicae, praeter status quidem condicionem, non attamen insolitae; nec timet ab aliis imitari, cum singularitatem potius appetat; igitur vel peccatum immodestiae non est grave. Quapropter nec scandalum.

386 His in adiunctis confessarius Vaientinam absolvere non dubitet.

Eam tamen obiuret, nam certum est «per quamvis liberiolem vestiendi modum, quo partes minus honestae aliquantum deteguntur, licet ad grave peccatum non pertingat, pudorem et verecundiam illam naturalem, quam Auctor naturae homini indidit ac velut murum contra pravae concupiscentiae libidines constituit, pedentim deminui atque obtundi»¹; eo magis quod agitur de honesta ac religiosa puella. Huius condemnet vanitatem; vestiendi morem improbet. Animadvertat tamen fragilitatem sexus debilis et quam sit arduum singulis repellere cultum paganum iam receptum. Hic non vin-

¹ Ter Haar, *Casus consc. de praecipuis huius aetatis peccandi occasionibus*, n. 170, ed. 1934.

³ Cf. Instructionem S. C. Concilii ad Ordinarios dioecesanos, diei 12 Ian. 1930. de *inhonesto feminarum vestiendi more* (AAS. 22 [1930], pp. 26 ss).

citur unius studio aut studio paucarum; potius conandum est ut per societatem feminarum mores magis modesti introducantur, quibus puellae catholicae fidem profiteri, saltem non dissimulare, gloriantur.

Alii casus.

C. II.—Nonnullas habet Hermas feminas paenitentes 387
 quae se passim accusant grave passas scandalum. Miratur Hermas, cum agatur de feminis pietati deditis. Eas ergo interrogat quid sibi velint dum se passas scandalum accusant. Ipsis respondentibus se dictis vel factis proximorum magna admiratione, indignatione, verecundia fuisse suffultas, confessarius petit a theologo num haec habenda sint pro scandalo passivo.

Sol.—Negative; «ita quod corrigenda sit opinio plurimum de vulgo, qui dum vident aut resciant aliorum peccata, dicunt se esse scandalizatos quia iuste commoventur, pudore suffunduntur, indignantur: scandalizari enim est pati ruinam spiritualem; isti autem nullam ruinam spiritualem passi sunt; quinimmo ex mala actione alterius occasionem sumunt bonas actiones faciendi quales sunt sanctae protestationes et expiationes» 2.

* Inter mndia specialia Ter Haar (*l. c.*, n. 172) haec signat: «Invitare matronas condicionis magis distinctae ut exemplo praeaeant audacterque respectum humanum conculcent, imo etiam ut inter se conveniant de certis vestibus in publicis societatibus et conventibus non gestandis; item ut e privatis domibus arceant Imagines, picturas, periodica illustrata quae infantium pudorem deminuere possint; ut praesertim parvulae puellae, vel etiam pueruli, brevioribus vestibus non induantur, etc.; providere ut feminae nomen dent associationi quae speclari modo intendat verecundiam in vestitu tueri, Impugnare huiusmodi inhonestatem. Denique, quoad eius facere possunt, curent etiam animarum pastores, ut auctoritas civilis leges et statuta ferat contra inhonestatem quae committi solet in balneis publicis, in littore maris, In ludis gymnasticis, etc., et ut quae statuta sunt severe custodiantur».

i Fanfani, *l. c.* n. 133.

388 C. ZZZ.—Accedens pro confessione annua, haec accusal Henricus, inter alia: «pravo meo exemplo fui aliis occasio graviter peccandi». An satis faciat integritati confessionis?

Sol—Negative: praeter numerum et malitiam siquidem actuum vel omissionum quae significantur «pravo exemplo», debet exprimere: a) qualitatem seu conditionem personae, tum scandalizantis, v. gr., si est pater vel superior, cui spiritualis cura subditorum incumbat—nam hi peccant etiam contra pietatem vel officium—, tum scandalizatae—v. gr, si quis feminam coniugatam vel voto ligatam scandalizaverit ad luxuriam—; et b) probabilius, numerum scandalizatorum¹. Immo, si scandalum fuit directum, speciem peccati ad quod proximus fuit inductus.

389 C. IV.—Se Sidonius accusat blasphemasse publice, de scandalo incircumspectus. Contraxitne scandali malitiam?

Sol.—Faciliter. Nam etsi praevidere possit aliquos non ideo peccaturos, vel qui sunt ita probi ut caveant imitationem, vel qui sunt ita viles ut peccent independenter ab exemplo; praevidere potest et debet quosdam infirmos vel pusillos occasionem inde sumpturos esse ad blasphemandum.

390 C. V.—Herculanus, paterfamilias, commisit coram filio furtum grave, quo huic dedit occasionem patrandi plura furtula. Num Herculanus graviter peccaverit.

¹ C(I, 218.—«Cum autem in praxi saepe sit impossibile indicare accuratum numerum personarum scandalizatarum cumque scandalum Indirectum frequenter non sit peccatum mortale, sive propter materiae sive propter actus imperfectionem, saepe sufficit modo generali In confessione declarare tale peccatum esse commissum coram pluribus» (Pr ü m-mer, *Th. Mor.* I. 609, ed. 1931).

Sol.—Peccavit quidem graviter ob furtum; leviter tamen ob scandalum. Exnresse Mare †.

C. VI.—Ad Donatum confessarium accedunt coniuges: 391
vir retinet ancillam uxori non sine ratione suspectam; uxor admittit ad familiaria colloquia venusculos amassios propter quod vir offenditur. Accedit quoque clericus qui famulam populo suspectam domi retinens, ansam praebet peccatis detractionis, calumniae, et contemptus pro statu clericali. Suntne isti paenitentes de scandalo arguendi?

Sol.—Affirmative. Ita Merkelbach 2.

C. VII.—In quadam civitate facta fuit publica mani- 392
festatio contra statum clericalem, contra R. Pontificem et in favorem libertatis conscientiae. Ut est idearum confusio, huic manifestationi concursus suum praebere catholici plures qui saepe in anno ad sacram Synaxim accedunt, qui nomen suum dederunt confraternitatibus et piis associationibus. Hi catholici sine dubio ita se gesserunt, ut partibus quibusdam politicis faverent, etsi aperte dictum fuerit illam manifestationem non habere sensum politicum determinatum. An et quatenus concurrentes huic manifestationi absolvi possunt?

Sol.—Ah hunc casum Ferreres: <In casu agitur de scandalo publico, quod publicam postulat reparationem. Hinc praestaret a loci Ordinario petere instructiones pro absolvendis in casu huiusmodi paenitentibus, qui certe absolvi poterunt, dummodo doleant et sincere proponant, et insuper ostendant se paratos ad exsequendas instructiones Ordinarii. Poterunt etiam absolvi simpliciter et absolute, si hanc vel similem declarationem subs-

† Marc, *l. c.*, η. 508.

‡ Merkelbach, *l. c.* η. 969.

cribant et publici iuris faciant in aliqua ephemeride illius civitatis: Ego N. volens reparare scandalum a me datum concurrente inconsiderate manifestationi anticatholicae *talis diei*, declaro me dolere de tali actione, cuius effectus non bene perpendi, et cuius tendentiam contra nostram Sanctam Fidem catholicam et contra auctoritatem R. Pontificis omnino reprobam» \

XI. PASSIVI SCANDALI PERMISSIO

Doctrina.

393 Quaeritur de causis excusantibus a praevisto, nec tamen volito, futuro scandalo, ita quod scandalum huiusmodi non imputetur ei qui scandalizavit indirecte (381).

Porro a passivo scandalo pharisaico (377) quaelibet ratio excusat: cum is enim qui ex malitia propria scandalizatur, in necessitate nulla versetur, ipsi non tenemur subvenire cum incommodo proprio; hinc et Dominus scandalum pharisaeorum contempsit (Mt 15, 14). Vult autem caritas ne offeramus sine ratione ulla occasionem peccandi vel iis qui ex malitia peccant; ideo requiritur et sufficit vera quaecumque causa.

Propter scandalum igitur pharisaicum nulla bona, spiritualia aut temporalia, sunt a nobis, uti plurimum, dimittenda: bonum enim spirituale satis compensat illud malum, et si quis temporalibus propterea valediceret, «hoc et noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio; et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent» 2. Dixi ut plu-

› Ferreres, *Casus Conse.*, I, 238 s., ed. 1926.

ï S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 43. 8.

rimum, nani «si malum quod timetur esset longe maius bono quod obtineretur opere, ut si timeretur peccatum valde grave in articulo mortis, aut plures esse peccaturos; ita punitio peccatoris aliquando relinquenda, si timeatur schisma»^{*}; tunc dimittenda essent. Tenemur quoque opera indifferentia omittere ubi vel levis causa desit ut his vacemus; sic clericus tenetur, ubi facile possit, declinare, per aliam transiens viam, homines nefarios qui videntes eum deambulantem blasphemabunt

A scandalo passivo pusillorum (377) ratio excusat 394 proportionate gravis: hoc enim scandalum subaudit proximum indigentem; nec tamen tenemur caritate providere commodo proximi cum maiori vel pari nostro incommodo. Pensetur ergo oportet tum gravitas indigentiae tum nocumentum ex subventionem secuturum—nobis ipsis vel ordini sociali ex frequenti praxi consimili—tum conexio actus nostri cum scandalo alieno eiusque in hoc influxus, ut causa sufficiens aut insufficienter pronuntietur².

Propter scandalum ergo pusillorum nullatenus a nobis dimittenda sunt bona quae, ex iure naturali vel positivo-divino necessaria veniunt ad salutem necessitate medii: quoniam, si necessaria nobis, caritas vult ut nos ipsos prae proximo diligamus; si vero necessaria alteri, petit caritas ut subveniamus ei qui magis indiget, porro qui scandalizatur corrumpit sponte. Nec illa ulterius

¹ Merkelbach, *Th. Mor.*, I. 963, ed. 3.

² Gravior propterea causa petitur quo peccatum timetur probabilius, gravius aut plurium. Et probabilius quidem peccatum imminet quo pauciores vel leviores femina vestes induat, quo nudatio pariter minus solita: gravius, si id agat coniugata—excitans concupiscentiam adulterii—aut inde plures feminae—eius normam sectantes—liberiores vestendi modum imitentur: plurium, denique, si insufficienter tecta procedat publice quam si privatis coetibus se exhibeat, utputa occasione sollempnis prandii.

bona quae nobis existunt necessaria necessitate praecepti negativi iuris naturalis: haec etenim non dimittuntur absque peccato—cum obligent semper ac pro semper—, prohibet autem caritas ne peccemus ipsi, quamvis inde proximi peccatum praepediamus.

395 Propter illud tamen scandalum cessant quandoque seu non obligant praecepta affirmativa naturalis iuris: in concursu enim superioris legis vim amittit inferior propriam; a fortiori praecepta iuris positivi, cum divinum praecipue humani.

Consiliorum vero praxis seu exsecutio, quandiu remanet libera—seu non obligatoria—, saepius differenda, interdum dimittenda est simpliciter x.

Propter pusillorum, denique, scandalum interdum temporalia nostra dimittenda sunt, nam spirituale damnum, etsi liberum, proximi quandoque maioris est faciendum quam temporale proprium; nullatenus ramen temporalia aliena quorum cura nobis commissa—nisi consensus domini rationabiliter praesumatur—, quia non tenetur facere eleemosynam nisi ille cui superfluum est, superflui igitur dominus.

396 At quoties bonum nostrum, spirituale aut temporale, cadens sub praecepto vel sub consilio, dimittendum diximus, ad necessitatem proximi subintellege, cui forsan

1 «Ubi ex opere consilii sequitur grave scandalum pusillorum, tunc debet omitti tale opus consilii vel differri ad tempus, vel si opus non est mignae utilitatis, et scandalum est magnum, totaliter debet dimitti si scandalum sit mortale; sicut si ex hoc quod mulier ieiunat ex consilio semper sunt iurgia inter ipsam et maritum usque dum veniat ad mortale, laudabilius est et debet illud dimittere» (Victoria, in II-II, 43, 7^o n. 5, ed. Beltrân de Heredia). ■¹

Quandoque tamen caritas ad se vel ad alios postulare vel suadere potest consilii executionem non obstante scandalo: agitur actus cum effectu duplici et potest effectus bonus intentus iustificare plene alterius effectus permissionem (I. 159). Ipsi scrupuli quibus conscientia angitur dicunt quandoque grave incommodum, huiusmodi scandalum excusans.

fit satis si alium in obtentione, retentione seu adimplentione modum serves vel expectes tempus. Saepe quoque pusillorum scandalum vitari poterit per admonitionem de actionis rectitudine—puta ob dispensationem—et sufficienti causa; si post datam congruam explicationem, cuius proximus capax est, scandalum persistat, hoc potius quam pusillorum dicendum pharisaicum.

Casus primus.

Videns quendam periodicorum venditorem exponere, cum animarum gravi scandalo, folia plurima irreligiosa et turpia, Faustus ignem apposuit noctu qui aediculam et periodica consumpsit penitus. Rem gestam aperuit postmodum confessario, eamque probare nititur quoniam et bonum spirituale, plurimum maxime, praeponendum est temporali unius emolumento, et nemo umquam ius habet qui rebus abutatur quamvis suis, et meritoria, praeterquam licita, defensio innocentium contra aggressorem prorsus iniustum. At confessarius ipsum arguit de indiscreto zelo. 397

Quid de confessarii sententia?

Solutio

Nulla profecto dubitatio quin bonum spirituale plurimum praeponendum sit temporali unius emolumento, et ideo nos adstringi ut dimittamus temporalia nostra ne simus proximis vera peccandi occasio; non tamen sequitur nos inde ius habere ut destruamus temporalia aliena ad impediendum quod alii dant scandalum. 398

Nec opponatur nemini ius esse ut abutatur rebus suis.

dominium enim et honestus usus non iisdem limitibus continentur; proprietas non amittitur abusu. Hic equidem, quoniam malus, est poena dignus; at non privatus poenam imponit licite, verum competens una auctoritas: esset namque contra commune bonum si cuilibet liceret vindictam sumere de malis quae in societate committuntur.

Sed id dumtaxat, practice, Faustus noster fecit, punire venditorem periodicorum: eo etenim quod noctu apposuit ignem ut damnificator tegeretur, impossibile venditori erit cognoscere ob quam causam fuit ei damnum illatum, num, v. gr., ob praeviam iniuriam personalem aut propter periodica quae vendit factioni politicae propitia. Non igitur in posterum abstinebit ab exponendis foliis scandalosis.

399 Quid si ob damnum sibi illatum venditor revera prohiberetur ab ulterius exponendis et vendendis irreligiosis turpibusque foliis?

Imprimis, etiam quando superior lex caritatis imponit cuilibet cessionem vel dimissionem temporalium—quorum possessionem vel retentionem non prohibet iustitia—, non propterea permittit a privatis auferri id cui dominus seu proprietarius tenetur valedicere. Sic in gravi necessitate corporali proximi dives tenetur sub mortali ut tribuat eleemosynam; quin attamen liceat aut indigenti aut alii pro indigente pecuniam a divite subripere (I, 136). Sic Deus praecepit baptismum parvulorum, at ministrandum voluntate parentum: ita videlicet ut invitis parentibus iniuriam faceret qui horum parvulos baptizaret (128). Porro, si non habemus ius ut hos parvulos a parentum dominio subtrahamus, quantumvis ex horum ratione agendi immineat illis privatio beatitudinis, a fortiori non habemus ius ut rem aliquam a pro-

ximi dominio deducamus ideo quod *ex* abusu rei is tribuat proximis occasionem peccandi.

Reponit Faustus scandalum activum venditoris considerari posse non tantum ut futurum sed ut praesens, velut aggressio iniusta in plurimum innocentiam, quae certo aggressio perseverat moraliter quandiu venditor pergit prava folia exponere. 400

Verum non agitur vera aggressio iniusta. Nam praeterquam scandalum activum vagatur extra terminos iniustitiae, aggressio importat vim, quae tamen iis qui scandalizantur nulla infertur. Qui scandalum passivum patitur, peccat libere. Unde neque licet vi defendere mulieris pudicitiam quae fornicario consentit seu non resistit.

Sed nec omnis defensio, etsi contra iniustum aggressorem, licita; oportet enim coangustetur intra limites moderatae tutelae. 401

Porro datur, uti plurimum, defensio alia, iuridica simul ac efficacior, denuntiatio nempe civili auctoritati, quae potest non modo prava folia destruere nunc exposita verum et impedire ne exponantur similia in posterum. Quod si denuntiatio unius vel alterius careat efficacia, fiat coniunctis omnium proborum viribus sive in foliis periodicis sive litteris ad civitatis praesidem.

Ubi huiusmodi defensio, legalis et pacifica, sit inutilis, privata defensio violenta, qualis illa Fausti, fert secum peiora consecutaria et ideo est omittenda. Lex enim vel sententia si favet venditori, hic animosior redditur ad folia illa exponenda; animosiores quoque redduntur venditores ceteri, quotquot timore retinebantur hactenus. Immo et difficilior erit venditio periodicorum honestorum, ob animositatem quasi lege sancitam. Forsitan et timendum est ne, prout Faustus ignem apposuit illi aedi-

colae, homines depravati apponant ignem catholicis donibus editorialibus.

Liquet autem defensionem ex qua timenda sunt maiora mala esse, ipso facto, illicitam (369).

Confirmanda est igitur sententia confessarii: Faustus egit ex indiscreto zelo, seu ex zelo non secundum scientiam.

Alii casus.

- 402 C. II.—Teneturne patronus plus aequo solvere operario ideo quod praevidet ipsum alias blasphematurum; item parochus teneturne remittere iura stolae sibi debita ideo quod parochianus, de sua quamvis obligatione conscius, in varias erumpat obtrectiones si iura illa exiguntur?

Sol.—Negative ad utrumque. In primo casu, quoniam incommodum illud plus aequo solvendi uni operario, licet in se leve, saepe occurrere potest et apud multos; unde in complexu fit grave. In altero, quoniam grave incommodum obveniret inde tum ipsi parochi tum eius successoribus. Ita Mare x.

- 403 C. III—Teneturne femina abstinere semel aut iterum ab audienda missa dominicali ad mariti blasphemias impediendas?

Sol.—Saltem potest. Cum de obligatione tamen non constet, ob Auctorum sententias varias, illae omissiones non sunt a confessario urgendae, at consulendae ut maxime.

- 404 c. IV.—Num puella teneatur evitare conspectum viri a quo se turpiter amari novit.

Sol.—«Puella decenter ornata valde probabiliter non

¹ Marc, *Inst. Mor.*, I, 512. cd. 1927.

tenetur, certe non sub gravi, evitare conspectum viri, a quo se turpiter amari novit; quia scandalum non est datum, sed ex adamantis malitia acceptum; ideo puella non tenetur se sua discurrendi libertate privare et incommodum subire semper expendendi num iustam egrediendi causam habeat. Contra, graviter peccaret, si semel iterumve abstinendo a deambulatione, a publico conventu, libidinem illius viri *abrumpere* posset, et non facit, quamvis illi facile foret. Graviter quoque peccaret, si de industria sese eiusdem viri conspectui obiiceret; id enim malum finem proderet». Sic Aertnys-Damen |

C. V.—Licetne ob causam rationabilem petere ab aliquo quod hic non praestabit absque peccato? 405

Sol.—Cum distinctione: negative, si quod petitur ille praestare nequit absque peccato: nam peteretur ab eo ut agat malum; affirmative, si quod petitur ille praestare possit absque peccato, quamvis praevideatur, nec intendatur, peccatum eius—sic licet petere sacramenta a sacerdote indigno seu in mortali, et mutuum ab usurario (eadem nisi possint, absque notabili incomodo, peti ab alio), iuramentum a peieraturo ¹ et debitum a coniuge qui praevidetur ipsum onanistice abrupturus.

C. VI.—Licetne ob rationabilem causam alteri occasionem peccandi permittere seu non praecludere, immo de industria apponere seu offerre? 406

Sol.—Affirmative ad primam partem, quoniam permittere occasionem peccandi non est inducere ad peccatum: sic licet marito qui suspicatur uxoris adulterium

¹ Aertnys-Damen. *Th. Mor.*, I. 384. ed. 1939.

² Quamvis non liceat petere a latrone ut furetur, a pagano ut iuret per falsos deos, ab avaro ut exigat usuram; licet tamen et manifestare latroni pecuniam ut parcat vitae, et petere iuramentum a pagano ut servet fidem sive foedus, et rogare mutuum ab usurario ut propriae necessitati quis subveniant (cf. S. Τηομαμ, *l. cit.*, 78, 4).

hanc secreto observare, licet parentibus et heris occasionem furandi non auferre filiis atque famulis, et licet vinearum custodibus se abscondere et sic occasionem non praecludere depredatoribus; dum tamen intersit causa proportionata, ut est correptio vel dimissio uxoris, correptio vel probatio fidelitatis filiorum et famulorum, punitio damnificantium quae ulterioris damni sit efficax obstaculum.

Ad alteram partem, quidam respondent affirmative, quandiu occasio vel actio non sit mala moraliter, quod occasionem offerre non sit inducere ad peccatum: alii, ex adverso, negative, quod agatur vera inductio et positiva cooperatio ad peccatum. Hi igitur non permittunt hero clavim data opera in arca pecuniaria relinquere ut experiatur fidelitatem famuli.

407 C. VII.—Damianus domum suam locaverat Catharinae viduae, quam credebat esse honestam feminam, sed maudit eam a viris suspectis frequentari. Ut veritatem assequeretur, ipse simulavit Catharinam inducere in peccatum, ad quod eam promptam et paratam reperit.

Sol.—Ad hunc casum Ferreres: «Graviter peccavit Damianus, seclusa bona fide, Catharinam ad peccandum ficto sollicitando. Ratio est, quia sollicitatio ad actum intrinsece malum, ex natura sua mala est. Nec excusandus est Damianus, ex eo quod animo peccandi caruerit; nam, exterius saltem, hanc intentionem ostendit, et mulierem, habitualiter male dispositam ad actuale consensum in peccatum mortale incitavit; hoc autem culpa gravi vacare non potest» \

1 Ferreres, *Casus Conse.*, I, 241, ed. 1926.

XII. IMAGINES OBSCENAE

Doctrina.

Imago, prout nos attinet, est artificialis similitudo ad 408
repraesentandum expressa ex eo cuius est imago, sal-
tem ut ideato ab auctore imaginis. Materialiter consi-
derata distingui potest prout fit in ligno vel lapide vel
tela, coloribus, lineamentis, etc. Ideo sub imaginis nomi-
ne intellegimus sculturas, picturas, photographias, etc.

Dicuntur obscenae seu impudicae imagines quae ex-
citant ad libidinem, sive ob scenam quam repraesentant
—actionem turpem—sive ob nuditatem personarum
—quoad partes inhonestas vel minus honestas—. Et si
quidem graviter excitant ad libidinem, sunt graviter seu
notabiliter obscenae, v. gr., si exhibent actionem gravi-
ter turpem, vel pudenda adulterum nuda sive transluci-
do velo cooperta l. Si non excitant graviter ad libidinem,
sunt leviter seu non notabiliter obscenae, v. gr., si exhi-
bent actionem nimis teneram et amatoriam, vel si, tectis
pudendis, reliquas partes adulterum, virorum maxime.

Non sunt, e contra, obscenae quae libidinem non
excitant, v. gr., imago parvuli, quantumcumque nudi.

Conficere, publice exponere, indiscriminatim exhibe- 409
re aut vendere imagines notabiliter obscenas est graviter
scandalosum, nam, attenta fragilitate humana, sunt pro-
ximis peccandi occasio proxima¹; imagines autem non

1 «Advertendum tamen gravitatem obscenitatis, potius quam ex specie
repraesentationis aut ex nuditate ex se, ex quantitate influxus provocan-
di ad libidinem pensandam esse» (Fanfani, *Th. Mor.*, II, 139).—«Adverten-
dum interim est imagines naturali seu carnis colore pictas, multo magis
quam non sic pictas, libidinem commovere» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*,
I, 390, ed. 1939).

2 «Nuda Venus aut similis obscena imago, pudendis detectis, aut coo-
pertis veste vel velo tenui, valde excitat ad turpia; ergo eam videntibus
est occasio ruinae spiritualis. Unde tam pingentes, quas eas publice ex-
ponentes mortaliter peccant» (Salmanticenses *Mor.*, tr. 21, c. 8. n. 64).

notabiliter obscenas, non est peccatum scandali, salte-
mortale, quoniam influxus ad libidinem nullus aut de-
bilis ; nisi fiant, exponantur, exhibeantur vel vendatur
ad libidinem excitandam—tunc enim de gravitate scan-
dali, utpote directi, satis constat (380).

«At imagines eximiae artis, quibus intuendis aspi-
cientes maxime moveantur a modo repraesentandi ar-
tistico aut ab idea repraesentata potius quam a nudi-
tate, licitum est servare in collectionibus et musaeis;
oporteret tamen non omnibus indiscriminatim conspi-
ciendae traderentur, sed artis peritis et personis matu-
lae aetatis. Igitur etiam videtur licitum praedictas ima-
gines conficere et reproducere, et artis peritis vel per-
sonis seriis vendere» 1

Casus primus.

410 Paula, femina ditissima, hortum suum ad publicam
viam situm statuis exornat, transeuntium conspectui
obiectis, inter quas non paucae sunt graviter impudicae.
A vicino Mauro semel atque iterum reprehensa quod
scandalizat transeuntes, Paula respondet eum qui illis
statuis offenditur debere oculos avertere, cum sibi in
horto suo ius sit agendi pro libitu. Tangens correptio-
nem inutilem et putans se teneri ad finem imponendum
tanto scandalo, Maurus, cui nulhim aliud medium oc-
currit, nocte intempesta hortum ingreditur et statuas

1 Ita Fanfani. *l. c.* Qui tamen addit: «Numquam certo satis commen-
datur ut imagines quoque vel statuae, etsi non notabiliter obscenae, non
exponantur publice, cum attenta humana fragilitate semper complures
esse possunt qui scandalum ex eis patiantur». Et pridem Noldin: «Grave
scandalum committunt... qui imagines et statuas etiam non graviter obs-
cenas in publicis plateis exponunt: has enim omnes vident, immo non
videro vix possunt: attents autem hominum communi fragilitate, semper
complures erunt, qui ex eiusmodi rebus grave scandalum sumunt, etsi
non sint graviter obscenae» (*Th. Mor.*, II, 108, ed. 1932).

» Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 970. ed. 3.

illas impudicas confringit. Quod cum postea narraret confessario, sibi ipsi confidens, ab eo sub gravi urgetur ad immediatam damnorum reparationem seu ad statuarum confractarum pretium Paulae statim solvendum.

Quid de ratione agendi Paulae, Mauri et confessarii.

Solutio

Paula peccavit graviter, cum aliquae ^{altem} statuae 4Π quibus hortum suum ad publicam viam situm exornat notabiliter dicantur impudicae; tenebatur ergo sub gravi has saltem statuas amovere. Neque valet excusatio eius: primo, quia non est ei in horto, etiamsi suo. ius agendi pro libitu, cum iure suo potius abutatur agens contra proximi caritatem; secundo, quod obligare transeuntes ut oculos avertant est imponere transeuntibus onus nimis grave. Ita Berchin x.

Maurus, si quidem bene egit semel ac iterum Paulam reprehendens, male tamen egit, obiective loquendo, statuas quamvis notabiliter impudicas confringens. hae cum essent Paulae, cuius non poterat praesumere consensum. Fuit ergo causa iniusta et efficax illius damni quod Paula passa est statuarum destructione (cf. W8 ss.). Eius attamen actio non fuit subiective peccaminosa. cum non adfuisset culpa theologica, putabat enim se teneri ad scandalum eo modo evertendum. Quapropter prae iudicis sententia ad damnorum reparationem non tenetur. Tenebitur autem post sententiam iudicis, quoniam adfuit culpa iuridica: ideo enim intempestam noctem expectavit ne iudice damnaretur ad damnum compensandum.

Confessarius igitur non debuit Maurum obligare ad

i Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Cons.*, I. 101.

damnorum reparationem immediatam. Quapropter si id fecit ex ignorantia vel inadvertentia culpabili, tunc ipsemet tenetur ut id reddat Mauro quod Maurus pretium solvit: fuit etenim causa iniusta, efficax et culpabilis factae solutionis. Si tamen ignorantia vel inadvertentia fuit inculpabilis confessario, tunc, etsi ad nihil amplius teneatur post solutionem a Mauro factam, tenetur attamen, si errorem prius detegerit, hunc penes Maurum retractare (cf. I, 79s).

A l i i c a s u s .

412 C. II.—An peccent qui partes pudendas pingunt, exponunt, vendunt ad scientiae anatomicae vel obstetriciae praesidium?

Sol.—Negative, quia tales imagines non sunt proprie obscenae cum non provocent ad turpitudinem. Possunt igitur vendi iis qui tali scientiae incumbunt. Quin illa propterea liceat publice exponere. Sic Aertnys-Damen x.

413 C. III.—Utrum obscena dicenda sit pictura in qua persona nuda repraesentatur modo ita artistico aut idealistico ut aspicientes maxime ab arte vel idea repraesentata moveantur?

Sol.—Negative. «Hinc, e. gr., celeberrima Laocoontis in Museo Vaticano non potest vocari obscena; pariter nun sunt obscenae complures repraesentationes in Catacumbis vel primis temporibus Medii Aevi factae, quarum pietatem admiramur, et quae etiam in ecclesiis catholicis aliquando habentur. Porro nequit profecto dici Ecclesiam catholicam et praesertim Ecclesiam in Catacumbis, quo convenerunt sancti martyres et

1 Aertnys-Damen, *i. c.*

confessores admisisse imaginas obscenas» Ita Prümmer \

C. IV.—Sindulphus, arti pictoriae deditus, cum argueretur a confessario ob confectionem atque expositionem imaginum obscenarum, fatetur se non posse intellegere quare illicitum sit pingere atque publice exponere plane nudas imagines, tam virorum quam feminarum, quoniam agitur, ait, de corporis humani pulchritudine exscribenda a pictore, miranda a ceteris. 414

Sol.—Reponat confessarius pulchritudinem corporis humani non esse confundendam cum pulchritudine totius hominis, corpore et anima conflati; immo nec extollendam supra animae pulchritudinem, nam corpus est animae instrumentum. Quapropter si pulchritudo corporis dum pingitur aut spectatur parit occasionem proximam peccandi, ab eius oportet expressione atque contemplatione abstinere. Neque Sindulphus obliviscatur facti communiter recepti, maiori nempe numero illas immagines publice expositas contemplantium interesse nuditatem pulchri corporis prae corporis nudi pulchritudine 1

C. V.—Sindulphus instat se audivisse a parrocho, qui picturam sacram ei commisit, animi morum in imaginem esse unum cum motu in id quod imagine repraesentatur; porro, inquit, cum homo sit imago Dei, videns 415

1 Prümmer, *Th. Mor.* I, 614, ed. 1931. Qui scite animadverti: «Nihilominus etiam istae repraesentationes artificiosae vel idealisticae, si repraesentant personas nudas adultas, hodie iam non sunt ponendae ante oculos omnium, praesertim iuvenum. quia complures non valent ita bene dignoscere artem, sed potius moventur ex re ipsa repraesentata».

a «Non senza ragione, or sono alcuni decenni, un osservatore dei tutto imparzia e ebbe a dire: *C'è che in questo campo intéressa la massa, non è la bellezza del nudo, ma il nudo della bellezza*» (Pius XII, alloc, diei 8 noV. 1952; AAS, 44 [1952], p. 872).

picturam humanae pulchritudinis surgit sponte ad divinae contemplationem.

Sol.—Respondeat confessarius, cum D. Thoma \ motum in imaginem esse duplicem, prout haec formaliter consideratur, ut imago, et prout consideratur materialiter, ut quaedam res; poiroy, etsi primus motus sit unus in imaginem et in id quod per imaginem repraesentatur, motus alter non est unus ac idem. Fur, utputa, qui contemplatur statuam argenteam alicuius sancti, sistit in statua materialiter seu in argento statuae. Ita, cum sit in natura lapsa magna inclinatio ad ea quae placent sensibus, non infrequenter accidit quod sistat homo in pulchritudine admiranda humani corporis prout idonei delectationi sexuali potius quam sub aspectu formali et idealistico.

41G C. VI.—An concubinam pingens amasio peccet mortaliter peccato scandali?

Sol.—Affirmative, quoniam talis imago est amasio fomentum et incitamentum turpis amoris; porro cum pictor credat probabiliter amasium ea abusurum, traditio picturae homini sic deperdito est quasi donatio gladii parato se interficere. Limita tamen hanc doctrinam, nisi scilicet iusta causa excuset, quae non est sola amissio lucri ex tali pictura—alias, cum haec semper adsit, semper liceret eam pingere—, sed causa iusta debet esse metus mortis, mutilationis, aut alterius similis damni. Sic Salmanticenses 2.

> 9. Thomas, *Summa Theol.*, III. 25, 3.
• Salmanticenses *Mor.*, l. c., n. 63.

XIII. SPECTACULA INDECENTIA

Doctrina.

Spectacula dicuntur repraesentationes scaenographicae ad aliqua facta, vera vel imaginata, publice exhibenda. 417

Quantumcumque de se non sint mala moraliter, nam de se nihil dicunt nisi ludum, tamen «nostris temporibus haud pauca spectacula sunt prava tum propter res contra religionem aut bonos mores repraesentatas, tum propter vestes immodestas repraesentantium» *.

Hinc Merkelbach: «Graviter peccant auctores et actores comoediarum in quibus non parcitur virtuti aut bonis moribus aut religioni, vel saltationum theatralium valde turpium in quibus ob inhonestum vestitum, obscenos saltationis modos, aut lascivas gesticulationes vel

1 Prümmer, *Th. Mor.*, I. 615, ed. 1931.—«Ad mores quod attinet, praecipue in materia castitatis, certe plurima nostrae aetatis theatra turpia sunt et inhonesta. Generatim repraesentantur res amatoriae: persaepe actores et actrices indecenter vestitae amorem libidinosum inter se manifestant per verba, gestus, actiones lascivas, quibus fieri non potest, quum spectatores, in primis iuvenes, ad graves commotiones carnales et ad cogitationes ac desideria impura excitentur, hisque quoque saepe consensum praebeant, vel tempore scenae, vel etiam postea. Accedunt frequenter saltationes obscenae in intervallis *fentr actes*). Religionem praeterea graviter offendunt illae repraesentationes, quarum spiritus, finis, thesis, uti dicunt, est mentem imbuere erroribus moralitatis independentis, excusando vel etiam praedicando et exaltando amorem liberum, adulterium, divortium, neo-ma thusianisimum, odium, vindictam, sulcidium, aliaque crimina; deridendo quoque moralem Christianam ut nimis duram, hypocritam etc. Haud raro etiam Ecclesia catholica, eius ministri, doctrina et praxis, facta historica (uti inquisitio) falso proponuntur et ludibrio habentur. Haec omnia, ut pronum est, spectantium religionem et fidem circa doctrinam Christianam facile graviter concutere, et sponte dubitationem vel indifferentiam eorum mentibus ingerere possunt» (Ter Haar, *Casus Conse, de praec. h. aet. peccandi occasionibus*, n. 118, ed. 1934).

contrectationes *magna* apparet turpitude» \ Et Genicot: «Graviter delinquent parentes qui sua sponte liberos suos ad theatrum ducunt, nisi antea noverint (quod rarum erit) spectaculum etiam adulescentibus innocuum fore»².

418 «Quae de theatris diximus, servatis servandis, etiam valent de publicis cinematographis. Imo haec saepenumero adhuc magis periculosa et bono communi magis nociva sunt quam illa, tum ob peccata externa ratione obscuritatis in ipso conclavi facilius commissa, tum praesertim quia propter pretii exiguitatem a multo pluribus, saepe etiam a iunioribus pueris et puellis, frequentantur. Ex altera tamen parte in hisce periculum minui potest, quia quod inhonestum vel indecens est per imagines solas repraesentatur, non autem, sicut in theatris, per personas vivas, quae voce, oculis, gestibus errorem praedicant passionesque provocant³.

Propter cinematographi faciliorem et ideo universaliorem frequentationem constitutae sunt in singulis nationibus Commissiones Censurum ecclesiasticae, quae pelliculas (films) distinguant pro fidelium utilitate. Dixerat enim Pius XI: «Quam ad rem prorsus necessarium est Episcopus stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius sit honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more generatim distribuere, ac denique editum abs se indicium sacerdotibus et cristifidelibus significare»⁴.

419 Notae a Censurum Commissione appositae spectacula (seu pelliculas) sic distinguunt:

1. Pro omnibus (nemo excluditur).

» Merkelbach, *Th. Mor.*, I. 970, ed. 3.

' Genicot. *Th. Mor.*, T. 242, cd. 1931.

s Ter Haar, l. c., η. 119.

' Pius XI, enc. *Vigilanti cura*. 29 iunii 1936; AAS, 28 [1936], p. 261.

2. Pro omnibus cum reservatione seu cautela (excluduntur minores 16 annorum).

3. Pro adultis.

4. Pro adultis cum reservatione seu cautela.

5. Dissuadenda.

6. Excludenda.

Normae huiusmodi non sunt praeceptivae—nisi Episcopus aliquam pelliculam determinate prohibeat—, sed sunt informativae; important enim indicium doctrinale virorum competentium atque prudentum, seu pelliculae qualificationem quoad eius sive argumentum sive scaenas; declarant igitur absentiam aut praesentiam periculi sive erroris sive immoralitatis. Ideo in Instr. S. Cong. de Religiosis (11 maii 1953): «ludicia, a nationalibus revisionis officiis emissa, normativa pro omnibus retineri debent, et ipsis conformari fideles tenentur»

Hae igitur censurae non imponunt praeceptum novum, sed dumtaxat declarant existentiam periculi peccati pro iis qui assistunt projectionibus pellicularum, quapropter periculum violandi praeceptum sive naturale sive divinum quo vetamur occasionem adire proximam peccandi. Porro pelliculae valde turpes sunt occasio per se et absolute proxima, in qua communiter plures peccant; notabiliter turpes sunt saltem occasio relative proxima, pro quibusdam videlicet, ad eorum statum, aetatem, indolem; religioni vel civili conviventiae contrariae sunt occasio relative proxima, pro non bene instructis in doctrina religiosa vel civica.

¹ «I giudizi emanati dagli uffici nazionali di revisione devono essere normativi per tutti e ad essi devono attenersi i fedeli» (*Comm. pro Religiosis*, 34 [1953], p. 255).

Casus primus.

420 Artibanus gerit quandam aulam cinematographicam, cuius tamen dominus non est, cum ab aliqua anonima societate pendeat.

Inter regulas quas a societatis administratore nuper recepit, hae habentur: a) dissimulare quantum possibile est, si in aulam accedant minores infra sexdecim annos, quando clausula ab officialibus publicae securitatis apponitur «vetitum minoribus sexdecim annorum»; b) negligere notas quas Ecclesia solet apponere nonnullis spectaculis, moribus Christianis oppositis vel nocivis (*pro solis adultis, dissuadenda, etc.*), quia societas contractus habet cum aliis societatibus cinematographicis, quae non tolerant huiusmodi selectionem.

Quoad primam regulam Artibanus curat contradicere sed non ex toto: militibus enim securitatis publicae nuntium dedit, ut invigilent; sed personis aulae addictis sibi subiectis regulam huiusmodi legendam tradidit. Quoad secundam regulam nihil facit ut se opponat, cum agatur, ut ipse dicit, de impositione ab aliis societatibus facta.

Quid de ratione agendi Artibani?

Solutio

421 1. Quod admissionem minorum sexdecim annorum, distinguamus:

Si nuntio dato militibus satis fieret ad impediendum ingressum minorennium. tunc Artibanus efficaciter hunc ingressum impediret; ideoque contradiceret ex toto regulae sibi datae.

Si tamen illo nuntio non satis fieret, duplex hypo-

thesis: A) aut lectio regulae a personis aulae addictis sibi subiectis hos non movet ad dissimulandum, et tunc quoque efficaciter ingressui obstat minorennium; B) aut eos movet ad dissimulandum, et tunc casus iterum duplex: a) aut iubebatur ipse regulam eis tradere legendam, et tunc non est culpandus, quandiu dumtaxat tradat legendam regulam; b) aut non iubebatur, et tunc culpandus est quod personis aulae addictis sibi subiectis occasionem tribuit peccandi.

Artibanus, quoniam regula loquitur de dissimulatione «quantum possibile sit», potest et debet abstinere a dissimulatione, quippe quae ex legibus etiam civilibus non est (ad morum nempe regulas) possibilis. Debet etiam in hoc insistere penes aulae addictos, tum quia hi sunt sibi subiecti, tum quia censura Commissionis civilis est semper minus rigida quam censura Commissionis ecclesiasticae x.

Quoniam tamen dissimulans, non cooperatur peccatis aulam ingredientium et pelliculam spectantium nisi negative, scilicet non impediens ingressum, eius dissimulatio posset ex hoc capite declarari immunis a peccato—nam agitur cooperatio materialis, non vero formalis—, non ob quamlibet causam—ipse cum teneatur civili lege minorennibus aditum praecludere—, sed ob notabile ipsius incommodum, v. gr., si alias dimitteretur ab aulae directione nec facile obtineret aliud officium¹ dummodo publicam notam fecerit qua insignitur pellicula (*pro adultis tantum*) cum sic iam ostendat intentionem ceteros excludendi.

¹ Nisi propterea spectacula quaedam sint minoribus vetita quod eos neque modice tangunt, seu quia pro ipsis carent (ut dicitur) intéressé.

² Ista dimissio, theoretice loquendo, non erit facilis, cum Artibanus habeat pro se leges civiles et possit contra administratorem litteras exhibere ab eo receptas. Practice tamen possibilis existit, ob aliam sive rationem sive saltem praetextum.

423 2.^o Quoad negligentiam notarum ecclesiasticarum
 Quoniam agitur de contractu praevie inito inter societatem anonimam, auiiae dominam, et societates cinematographicas quae non tolerant ecclesiasticam selectionem, agitur de impositione pellicularum facta ab his societatibus. Pelliculas ergo quas Artibanus exhibet, non ipse eligit¹, sed recipit dumtaxat exhibendas.

424 Porro, quoniam indicium de pellicularum natura scandalosa prolatum ab auctoritate ecclesiastica habet pro se recti iudicii praesumptionem, catholicus director aulae non potest licite ab eo praescindere; illas notas negligens, peccat.

Nec excusatur inde quod administrator societatis iubeat hanc negligentiam: oportet enim oboedire Deo magis quam hominibus (Act. 5, 29).

Quapropter si agitur pellicula pro omnibus exclusa quoniam notabiliter excitans ad peccata gravia, Artibanus debet eius pretium ex peculio solvere potius quam eam exponere; in casu tamen extraordinario in quo exhibitionis praetermissio secum ferret aut magnum lucrum cessans aut desertionem vel occlusionem aulae ex qua victum sibi atque familiae comparat, Artibanus posset excusari a gravi culpa—quoniam agitur de cooperatione ad scandalum, datum principaliter ab administratore societatis—si eius cooperatio sit tantum materialis (453) atque curet, pro viribus, periculum seu scandalum minuere, v. gr., exhibens pelliculam sine pro-

1 Si pelliculas ipse libere eligeret exhibendas, Artibanus negligens censuras Commissionis ecclesiasticae nequiret a peccato gravi excusari, ob scandalum quod tribuit assistentibus, quoniam certum est plures occasione sibi data, peccare; exhiberet enim publice pelliculas nuae dant occasionem absolute aut relative proximam peccato. Ad rem Pius XII: «Quis dicere possit, quanta detrimenta imagines huiusmodi animis, praesertim iuvenilibus, afferant, quot cogitationes impuras ac pravas excitent voluptates, quantum conferent ad corrumpendos populi mores, non sine discrimine prosperi status ipsius rei publicae?» (enc. *Miratida prorsus*; AAS. 49 [1957], p. 788).

fusa notitia praevia aut diebus quibus spectatorum est exiguus numerus¹, pelliculae scindens sive comprimens perniciosiores partes vel scenas.

A l i i c a s u s .

C. II.—Utrum comoediarum actores et actrices absolute possint? 425

Sol.—Affirmative, cum S. Thoma, II-II, 168, 3, 3m 2, si non utantur illicitis verbis aut factis. Secus vero, si parati sint ad res quascumque, etiam turpes, aut alias quavis ratione illicitas repraesentandas. Sic Ferreres³.

C. III.—In quodam coetu laicorum disputatum fuit de distinctione communiter recepta inter spectacula permissa adultis et vetita adolescentibus. Numquid dicebat aliquis, est alia lex moralis pro diversa hominis aetate? 426

Sol.—Illa distinctio est omnino probanda; non quod lex moralitatis variet pro cuiuslibet annis, sed quod

¹ «Con un po' di cristiana fermezza e prudenza (accordandosi anche con varie Case) si può quasi sempre riuscire a rifiutare i films indesiderati. Se proprio si deve accettare un film escluso, non lo si proietta. Meglio una perdita di guadagno che non la responsabilità di scandalo a molti. Se in caso eccezionale la non proiezione del film escluso volesse <lire una troppo forte perdita o, forse, il boicottamento o fallimento dei cine che gli dà il pane, il gestore può essere scusato da colpa grave, purché cerchi in qualche modo di neutralizzare o diminuire il pericolo o scandalo (non facendo molta reclame, dando il film in giorno di minore afflusso ecc.)» (Boschi, in *Palestra del Clero*, 1956, p. 1038).

² «Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec sunt in statu peccati; dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis».

³ ferreres. *Casus Conse.*, I. 250, ed. 1926,—«Turpium vel impiarum scenarum actores et actrices ad Sacramenta admitti nequeunt, nisi aut professioni S'ae renuntient, aut saltem ab eiusmodi scenis prorsus abstineant: sunt enim peccatores publici, publicum scandalum praebentes» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II. 504, ed. 1939).

quaedam scandala cadunt facilius in iuniores quam in adultos; porro quaedam spectacula iunioribus vetantur ratione scandali seu propter scandali periculum. Ita Fanfani.*

- 427 C. IV.—Narcissus quandoque adulescentes liberos secum in theatrum ducit, ne soli domi maneant cum famulis et forsan in maiora pericula incidant. Quid dicendum?

Sol.—Graviter peccat Narcissus, cum spectacula atque choreae tam facile periculum liberorum adulescentium castitati creent; deest enim graviter officio quod ipsi incumbit eos a peccato avertendi et ad omnem virtutem promovendi. Nec excusatio valet: excepto enim casu valde raro in quo ipse moraliter cogatur ad theatrum pergere, neque efficaciter liberis domi manentibus invigilare queat, nulla vera necessitas Narcissum cogit ut pueros alterutri ex his periculis committat, quippe facile posset a spectacula voluptate abstinere et cum liberis honesta quadam recreatione vel ambulatione frui. Ita Genicot².

- 428 C. V.—Ariprandus, uxoratus, recreationis causa, adivit saepe cinematographum, etiam quando dabantur spectacula (films) quae «dissuadenda» a Commissione ecclesiastica signabantur. Peccavitne graviter toties quoties ob hanc frequentiam?

Sol.—Negativa, per se, responsio videtur danda ex ipsamet vel dictioni sive nota a Commissione adhibita, nam eo quod dissuadentur significatur extrema non dari absoluti periculi. Verum habitualis transgressio duceret ad letale peccatum. Sic Casals³.

» Fanfani, *Th. Mor.*, III, 186.

1 Gfntcot, *Casus Conse.*, 61. ed. 1928.

J Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 242.

C. VI.—Crispinus iunior, recreationis pariter gratia, 423
ad spectacula (films) conspicienda accedit quae «exclusa» declarata fuerant ab ecclesiastica Commissione. Commisitne, per se, tot peccata gravia quot spectacula conspexit?

Sol.—Ipse Casals respondet distinguendum esse inter spectacula exclusa pro omnibus ideo quod inhonestam thesim contineant—v. gr., divortium, homicidium, rebellionem contra legitimam auctoritatem—et spectacula ideo exclusa quod scenas vel partes turpes includant. Quoad primam categoriam proximum periculum non adesset in singulis visionibus, sed plures requirerentur: iemel enim videre divortii defensionem generatim considerari nequit ut proximum periculum peccandi. Contra, quoad secundam categoriam, periculum adesse potest et plerumque adest in singulis visionibus.*

C. VII.—Confessum venit Gualbertus, iuvenis in 10
scientiis profanis satis, sed in religione parum, instructus, qui petit num sibi sub gravi prohibitum sit semel assistere scenae dramaticae quam Titius confessarius novit Ecclesiae eiusque ministris et doctrinae valde hostilem. Confessarius positive dubitat num paenitens ob hanc unicam assistentiam in peccatum mortale sit lapsurus. utrumque et lapsum et lapsus vitationem vere probabilem habens; unde illam assistentiam Gualtero sub gravi prohibere non audet.

Sol.—Ad hunc casum Ter Haar²: «Si confessarius positive dubitat, id est si iudicat huiusmodi spectaculum semel adire suo paenitenti futurum esse occasionem probabilis, etsi non certi, lapsus in peccatum contra fidem, id ipsi simpliciter sub gravi prohibere debuit, etiamsi vitationem lapsus pariter probabilem habuerit;

¹ *z. c.*

² Ter Harr, *z. c.* n. 125.

idque in materia fidei magis adhuc quam in rebus morum'. Haec solutio est omnino tenenda cum S. Alphonse et sententia longe communiore contra aliquos, quorum sententia probari nequit². Neque etiam Titius ab hac monitione abstinere vel responsum ambiguum dare potuit, quia paenitens interrogando ostendit se de huius actionis honestate iam non versari in bona fide».

XIV. CERTAMINA PULCHRITUDINIS

Doctrina.

431 Certamen seu concursus inter plures agitur ut appareat quis aptior sit ad aliquod officium, dignior aliquo beneficio, excellentior secundum aliquam dotem corporis aut animi. Sic loquimur de concursu ad paroeciam, ad canonicatum, ad cathedram universitariam; de certamine litterario, gymnico, etc.

Certamina ergo pulchritudinis ineuntur ut eligatur inter concurrentes is qui pulchritudine praestat physica, et per se seu in abstracto loquendo fieri possunt «inter infantes utriusque sexus, inter pueros, inter puellas, inter mulieres et inter viros, relictis senibus, cum, in hac aetate, pulchritudo in deteriora cedat», prout Palazzini loquitur \

At pulchritudinis certamina, hisce nostris temporibus celebrata, inducuntur ad indicandum de solis femineis qualitatibus corporalibus sive physicis, quae nempe ex contenditibus accedat magis ad idealem feminae pulchritudinem.

1 «Perdita enim fides raro recuperetur et morum corruptelam secum trahere solet» (Id., ib., n. 119) .

» Videtis, I. 283n.

> Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 243.

Ut hae qualitates innotescant, feminae contendentes paucissimas atque succinctas vestes induunt, iudices perscrutantur et mensurant omnes ac singulas partes corporis, adstantes ceteri avidè intuentur tum feminarum corpora motusque varios, tum etiam iudicum operam percuriosam x.

Nec minimum ergo dubium subest quin puellae de- 432
certantes se gerant immodeste in exhibitione, gestibus, incessu, ut appareant inde gratiosiores; immo quin iudices et adstantes ceteri carnales patiantur commotiones et versentur in occasione proxima peccati.

Practice dixeris huiusmodi certamina ad unam agi libidinem pascendam cum adstantium tum praecipue iudicum. Fiunt etenim absque ulla vera necessitate vel utilitate; fovent degradationem feminae, cui et naturalem pudorem auferunt, propugnaculum castitatis, et exaggerant physicam pulchritudinem, quasi femina pariter ac bestia, aestimanda sit ad unam corpoream perfectionem.

Nec scandalum hodie continetur intra parietes aulae in qua peragitur certamen; protenditur enim per diaria, folia et ephemerides ad absentes, cuiuscumque conditionis, aetatis, sexus.

Sunt igitur haec certamina damnanda de mortali 433
pro iis qui libere partem in ipsis sumunt, pro puellis se exhibentibus, pro promotoribus, pro indicibus et pro

1 «Il modo di designare una miss è quanto mal scenocertante per chiunque conservi un tantino di pudore. Tnsorge la nausea al solo leggerne i resoconti fomenti da giornali correnti per le mani di tutti. Vi si paria d'indumenti quasi adamitici e da sniaggia, di tela finissima che consente il rilievo di qualsivoglia neo sottostante: di misurazioni delle parti del corpo, nessuna esclusa, e meticolosamente: ed altro. Si agglunge che l'esporre descritto è, d'ordinario, sostenuto. In presenza di quanti desiderano esaltarsi allo spettacolo protratto per ore» (Guarise, in *Palestra del Clero*, 1954, p. 496).

adstantibus ceteris \ Oporteret negare vim concupiscentiae ex peccato originali cuique innatae si dicere velimus nullum his inesse proximum libidinis periculum.

De facto ea damnarunt, quae in suis dioecesibus parabantur, plures episcopi. Ceteroquin, si Pius XII acriter improbavit exhibitiones quae in cinematographo atque televisione interdum dantur quod agatur nempe de feminarum male tectarum imaginibus², a fortiori quidem improbandae sunt exhibitiones quibus non iam imagines femineae sed ipsae feminae fere nudae offeruntur.

Casus primus.

434 Occasione festivitatis B. Mariae V. in caelum assumptae, in parvo pago, prope litus maris, quo multi confluunt ex magna urbe ad balnea sumenda, indicitur sic dictum certamen pulchritudinis inter puellas praesentes.

Ad spectaculum evolendum a syndico loci expetitur theatrum municipii; Parmenas, syndicus, cum sit bonus Christianus, pergit ad parochum, expetendi consilii causa. Ex una parte et ipse vellet theatri usum denegare; ex altera vero, cum resciverit fere omnes assessores cessioni esse favorabiles, metuit ne occasio inde sumatur ad crisim in municipio provocandam, ex qua timetur adventus syndici factionis socialistarum.

At ita paratus est ut quidquid parochus consulat, ipse exsequatur propriis incommodis posthabitis.

Quid consulere debeat parochus syndico in casu?

¹ Sic quoque Guarise, *l. c.*, pp. 495 ss. et Connell in *The Amer Ecce. Rev.*, 1947. pp. 387 ss.—Kelly, in *Theol. Studies*, 1949. pp. 76 s., quantumvis mitior, in feminarum degradatione insistit haec certamina sponte consequenti.

² AAS. 49 [1957], pp. 210 S.

Solutio

Supponimus: 1.^o) certamen pulchritudinis non esse 435
indictum in contemptum religionis, id est festi Assump-
tionis B. Virginis; 2.^o) ubi theatrum municipii denege-
tur, certamen tamen habendum esse in alio loco pagi;
3.^o) periculum crisis et consequentis adventus syndici so-
cialistae certo imminere; et 4.^o) adventum syndici socia-
listae futurum fore pago graviter damnosum.

His etiam in adiunctis consulat parochus denegatio-
nem usus theatri. Huius namque concessio importat
cooperationem positivam et quidem eius qui ex officio
tenetur de publica pagi moralitate curam gerere x. Im-
portat insuper scandalum, pagi imprimis—contra bonum
illud commune quod urget syndico defendendum atque
fovendum—, ceterorum etiam catholicorum quotquot
venient in concessionis huius notitiam, maxime si no-
verint episcoporum ac Summi Pontifices damnatio-
nem (433): nam quam dabit omnibus noster syndicus
explicationem congruam?

Maior etenim pars cum audiet crisim imminere mu-
nicipio ubi theatri usus pro tali certamine denegetur,
putaret crisim auspicientes quaerere vel minimum prae-
textum, et ideo theatri usu concesso periculum non amo-
veri crisis, sed momentanee protrahi. Piures insuper
advertentes syndicum catholicum paria, forsitan et
maiora², mala permittere quam timenda sint a socia-
lista, non videbunt rationem sufficientem ut Parmenas
pergat in officio.

› Si syndicus tenetur ex officio moralitatem publicam tueri, officio
prohibetur, a fortiori, ne publicae immoralitati cooperetur (455)

J Notum est in Italia senatricem Merlin, quantumvis socialistam. le-
gem proposuisse Parlamento qua haec pulchritudinis certamina expresse
interdicantur.

Deneget ergo theatri usum; parochus et cuncti honesti cives accedent adiutores. Si quae vere mala timet vitare nequit, patienter ferat: pars enim est patientiae adversa tolerare ea cum declinare non valemus.

Alii casus.

436 C. II.—In quadam civitate initum est certamen ut puellarum pulcherrima eligatur quae in scaenico ludo religioso personam agat B. Mariae virginis. Valeria bonis moribus aequae ac venustate praedita, cum audierit nonnullos ex episcopis in certamina pulchritudinis invexisse, confessarium sciscitatur num sibi liceat certamini concurrere.

Sol.—Simplicitate, abs dubio. Valeria ducitur quando vetita suspicatur ab episcopis omnia pulchritudinis certamina, nam vetitum restringitur ad certamina quae praestant nuditatibus. Sed aliud est nuditas muliebris et aliud muliebris pulchritudo. Cum ergo pro selectione vices gerentis B. Mariae V. sola pulchritudo, absque nuditate vel minima, attendatur, confessarius Valeriam doceat sibi prorsus licere certamen hoc adire. Moneat autem ut B. Mariae V. dum personam agit modestiam atque pudorem imitetur.

437 C. III.—In alia civitate nuntium fuit datum de certamine in quo servatis usque ad unguem modestiae legibus, puella pulcherrima deligatur quae donetur civitatis nomine. Decertare vellet Herisia, quae, propterea petit a confessario num mortaliter peccet pulchritudinem tantam arte fingens quantum necessariam putat pro victoria.

Sol.—Respondet Caietanus: «Fictio, nisi sit pernicio-
sa, non est peccatum mortale: sicut de mendacio dici-

mus quod solum perniciosum est mortale. Mulierum autem fucatio officiosa est, ad pulchritudinem serviens, non perniciosa secundum se: sicut nec suprema pulchritudo naturalis. Quando enim unus effectus potest ab arte et natura fieri, eiusdem rationis est si a natura, et si ab arte fiat: ut patet de sanitate. Et propterea si pulchritudo naturalis non est secundum se perniciosa, consequens est quod nec pulchritudo artificialis secundum se sit perniciosa. Et si dicas quod ars in fuco non facit, sed mentitur pulchritudinem mulieris: respondetur quod verum est, sed quantum ad propositum spectat, perinde est ac si faceret pulchritudinem: quoniam ratio mendacii apposita non addit deformitatem mortalem, ex hoc ipso quod mentitur pulchritudinem non perniciosam» x.

C. IV.—In parvo aliquo pago paratur certamen pulchritudinis in quo puella venustate praestans cumuletur honoribus. Certamen adire vult Sabina, religiosis moribus instructa. Timet autem, non quidem immodestiam vel scandalum, cum certamen satisfaciet castitatis et pudicitiae normis, sed ne propria vanitas foveatur et aiena exasperetur, ipsa si palmam ferat. 438

Sol.—Haec equidem pericula communia sunt omni competitioni, muliebri maxime, nec propterea quaelibet competitio, etsi muliebris, damnanda est. In casu applicanda sunt principia iamiam tradita (394 s.) de dimittendis temporalibus ad vitandum scandalum invidias videlicet alienas; nam contra propriam vanitatem nonnullis aliis mediis poterit se Sabina communire. Si honores igitur quae victrici dabuntur malum compensent

» Caietanus, in II-II 169. 2. n. 5—Nec opponatur competitionem agi in qua victoria unius cedit in infortunium ceterarum. Primo, quod nec ceterac contententes despicient artem. Insuper, quod nec ipsimet ludlces excellentiam totam tribuent naturae.

ex alienis imminens invidentiis, licet Sabinae his invidiis occasionem dare; non autem alias.

439 C. V.—Herena, quae saepe audivit de certaminibus pulchritudinis et cuperet ceteras puellas quandoque superare, tota sic est intenta servandae augendaeque venustati ut dixeris quaslibet alias animi corporisve dotes parvi vel nihili facere. Quin propterea parata sit certamini interesse a morum normis dissono.

Sol.—Quoniam non agitur certamen inhonestum, scandalum non dant puellae adstantibus. sed promotores puellis quippe quibus occasionem vel ansam praebent magnipendendi pulchritudinem corporis atque minoris habendi qualitates animi. Sunt enim plura nubili feminae praestantiora, prudentia domestici regiminis, ars multiplex quoad officia domestica, modus exteriorum actionum, castitas, fidelitas, circumspectio. Haec enim appetunt viri bona in ea quam eligunt uxorem, potius quam concubinam; his contra destitutam qua assumpserunt facilitate et repudiabunt. Ad haec igitur sunt puellae promovendae. Quapropter si certamen fit pulchritudinis, id fiat quoque ac praecipue domesticarum artium et virtutum.

XV. LIBRI PRAVI

Doctrina.

440 Merito Gury: «Ex omni scandalorum genere nullum magis execrandum est, quam quod ex impiis et obscaenis libris procreatur. Haec est diabolica inventio omnium efficacissima ad animas turmatim in gehennae bathrum detrudendas. Haec est pestis omnium maxime dira et immanis, quae non unam tantum regionem aut

aetatem inficit, sed ad universa loca et tempora diffunditur, omniaque innumeris complet stragibus. Quis autem dicere posset horrenda mala, quae Religioni et moribus ex pravis libris, velut ex letali fonte, exorta sunt, et quidem usque ad finem mundi propaganda atque multiplicanda?» x.

Dicuntur libri *impii*, seu ex professo contra Religionem. qui data opera vel religionis fundamenta vel aliquod ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, vel Ecclesiae ministros calumniis impetunt² Dicuntur libri *obsceni* seu pornographie! qui ex suapte natura, propter res turpes atque lascivas quae docent vel describunt, graviter excitant, uti plurimum, pravam libidinem³.

Numquam licet, ut patet, libros hos scribere; si enim 441 mala intentione agatur, impugnandi Religionem, dogmata Christiana, Ecclesiae ministros deridendi vel contemnendi, pravam libidinem excitandi, quoniam adest scandalum directum; si praeter intentionem malam, quoniam datur aliis, scilicet lectoribus, occasio eaque obiective proxima deserendi veram fidem vel corrumpendi bonos mores.

Lex ipsa naturae prohibet librorum lectionem quae fidei vel moribus periculum afferat; et si quidem periculum proximum (absolute vel relative) gravis damni spiritualis, sub mortali; sub veniali, contra, si periculum (absolutum vel relativum) sit aut remotum gravis damni

x Gury, *Th. Mor.*, I, 240. ed. 1889.

² «Alii (sunt) *non ex professo* contra Religionem qui obiter aut data occasione dumtaxat aliquid Religioni adversum, vel subinde Ecclesiae ministros insectantur» (Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II. 505, ed. 1939).

³ «Alii (sunt) *subobsceni*, in quibus exiguum dumtaxat obscenitatis invenitur; ad quam speciem pertinent libri *erotici*, id est, de amoribus agentes quales sunt multa dramata, comoediae, poëmata, et aliqui libri romantici» (Id., ib.).

aut proximum damni levis. Retentio horum librorum pro tanto iure naturae est vetita pro quanto periculum inde oritur Quod a retinente vel ab alio legantur cum fidei morumve discrimine.

442 Hoc utrumque vetitum naturalis iuris roboratur Iure Canonico, quo fideles prohibentur quominus, absque debita licentia legant vel retineant libros tum impios tum obscenos (can. 1398, § 1; 1399, 3.º, 6.º, 9.º); a qua Codicis prohibitione excluduntur Cardinales. Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis attamen cautelis (can. 1401); etiam iis adhibendis qui legitima licentia gaudeant nam «licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum praestant» (can. 1405, § 1). At cum prohibitio ecclesiastica lata sit ad praecavendum generale periculum, urget etiamsi in casu peculiari periculum non adsit (can. 21), quapropter ubi naturalis lex non urgeret. Ecclesiastica, demum, prohibitio munitur excommunicatione Sedi Apostolicae speciali modo reservata in eos qui scienter sine debita licentia legunt vel retinent libros¹ publici iuris factos apostatarum, haereticorum et schismaticorum qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant (can. 2318, § 1).

¹ «Quae sub hoc titulo (nempe XXIII Codicis, ideoque canonibus 1384 ad 1405) de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet» (can. 1384, § 2).

² Aliter atque supra, hic agitur de libris proprie dictis, et ideo de publicationibus periodicis ligatis in fasciculis (S. Officium 13 iunii 1892); non tamen de diariis vel periodicis (S. Officium 21 iunii 1880), neque de articulis Encyclopediarum—hi nisi gaudeant tanta extensione ut libris aequipolleant.

Casus primus.

Ad ornamentum bibliothecae domesticae Aduiphus re- 443
tinet tria volumina a notis haereticis exarata in haere-
seos propugnationem. Primum emit, quod in cunctis
prostaret librariis officinis; monito autem vel prooemio
perlustrato, nihil amplius legit. Alterum et tertium per-
legit funditus; sed illud, quantumvis typis destinatum,
mansit, ob mortem auctoris, manuscriptum; aliud vero
typis fuit excussum, exiguo tamen exemplarium numero,
quod ad paucos amicos dono adveniret, publicae vendi-
tioni vel divulgationi nullo pacto mandandum.

Quaeritur:

- 1) Num Aduiphus graviter peccaverit; et quatenus affirmative.
- 2) Num censuram evaserit.

Solutio

Ad Ium.—Quantumvis prohibitio sive lectionis sive 444
retentionis librorum impiorum urgeat sub gravi, omnes
admittunt materiae parvitatem.

Quoad lectionem, «quid sit materia levis, non con-
cordant autores. Tamquam regula generalis sit' id est
materia gravis, quod *per se et ordinarie inducit* legenti
grave periculum perversionis. Itaque aliquando paucae
paginae sunt materia gravis, aliquando vero nec 30 pa-
ginae non ita periculosae constituunt materiam gra-
vem» \

» Pr ü mmkr, *Th. Mor.*, III. 508, ed. 1928.—«Theologi antiqui optimi
(Lugo, disp. 21. n. 85: S. Aiph., VII. 284, 292) dicunt lectionis obiectum
notabile esse: vel unam alteramve paginam, vel prooemium, casu quo ibi
exponitur materia minus periculosa; vel paucas (aut plures) lineas si
aperiendo librum haereticum incidas in doctrinam quae directe est con-

Quoad retentionem, tempus notabile alii dicunt 3 dies alii vero mensem 2.

445 Adulphus igitur, legens dumtaxat monitum seu prooemium primi voluminis, non graviter deliquit, si in eo haeresis non propugnatur sed enuntiatur tantum, ut fit plerumque 3. Peccavit tamen graviter, contra legem naturae, legens alia volumina si periculum proximum ei imminebat perversionis; non tamen contra legem ecclesiasticam dum legit librum sive manuscriptum sive typis quidem excussum at paucis amicis destinatum, cum neuter dici valeat liber editus Peccavit autem graviter

tra fidem. Recentes AA. docent materiam notabilem esse: vel 3-4 paginas, si continent res vere periculosas, vel 30 paginas, si periculum in his contentum est minus. Ita No din, II, 700. Sed talis forma nimis larga est; quare rectius cum citatis antiquis sentit Lehmkuhl (I. 13C5): Peccat graviter, ait, qui sine facultate legit locum qui materiam prohibitam specialiter tractat, vel, si materia periculosa non est. partem notabilem, v. gr. unam alteramve maioris formae paginam Supponimus autem talem materiam quoad periculum esse incertam)» (Marc, *Inst. Mor.*, I 1317, ed. 1927).—«Si opera sint quae fidei vel moribus special' periculum inierant, quia insidiosis argumentis vel lascivis descriptionibus sunt referta. iam grave reputamus paucas (5-6) paginas legere Ignotae naturae. Et notabilis iam erit quilibet locus, etsi multo brevior, qui in se graviter sit periculosus sive propter obscoenitatem suam sive propter sophisticas quas continet rationes» (Vermeersch, *Th. Mor.*, III. 905. ed. 1927)

l Marc, *l. c.*; Aertnys-Damen. *l. c.*, n. 1046.

a Prümmer, *l. c.*; Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 775, ed. 3; Vermeersch, *l. c.*

' Ita Van den Ecrendeemt, apud Palazzini-De Iorio, *Casus Consc.*, II, 426. Aliter Ferreros, «quia generatim huiusmodi monita seu proemia errorem continent, et sunt periculo plena» (*Casus Consc.*, II, 1326, ed. 1926). H

♦ «Ad librum constituendum typorum impressio non requiritur nec de se sufficit typorum impressio ad *editionem* de qua Codex hoc loco loquitur. Ut liber *editus* dicatur requiritur ut typographice. litographice. hectographice vel alio simili modo publicetur, idest venditioni publicae exponatur et ad omnes destinetur vel ab omnibus emi possit. Liber *manuscriptus* editus dici nostris diebus simpliciter nequit; nec item liber typis aut alio modo impressus sed usui privato reservatus» (Coronata, *Inst. l. c.*, II. 952, ed. 1931).—De cursu autographico quem professor atheus discipulis tradebat, sic Genicot: «Non lege positiva prohibetur huius privati codicis autographici lectio, quamquam, si editus esset, seu

contra legem canonicam si retinuit, saltem ultra mensem, primum volumen.

Ad Illum.—Adulphus certo evasit excommunicationem 446 legens et retinens, ultra mensem, postrema duo volumina. non modo quia id agens non peccavit graviter contra legem Ecclesiae, verum et quia censura in eos dumtaxat fertur qui legunt vel retinent libros haereticorum etc., •publici iuris factos (can. 2318, § 1) in his autem nec manuscriptum venit neque liber typis excussus a publica venditione et divulgatione seclusus. Retinens tamen primum volumen ultra mensem, excommunicationem non evasit Adulphus, si *scienter* egit, conscius scilicet sive auctoris—haeretici—sive argumenti—haereseos defensionis—sive vetiti ecclesiastici poena muniti.

A l i i c a s u s .

C. II.—Arcadius dono accepit editum librum heterodoxi auctoris haeresim propugnantis. Librum quidem non legit; retinuit attamen ultra mensem donec nactus fuerit occasionem vel volumen tradendi sacerdoti qui facultatem habeat hos libros retinendi vel licentiam impetrandi ut volumen retineat. Peccavitne graviter? 447

Sol.—Negative, cum retentioni suffragetur causa rationabilis. Si tamen non notabiliter ultra mensem, < nam intra hoc tempus petita licentia vel exspectata occasio facile adesse potest » l.

C. III.—Epimachus legit librum quendam historicum 448 a viro materialismi erroribus addicto conscriptum. Re-*

venalls omnibus prostaret, manifeste caderet sub can. 1399. 2.º Neque subtilior vel absona dicatur ista distinctio: lex enim positiva providet ordinarie occurrentibus, qualia sunt pericula populo Christiano imminentia o scriptis quae publici iuris fiant » (*Casus Conse.*, 251. ed. 1928).

i Noldin, *Th. Mor.*, II, 706. ed. 1932.

pertis autem duobus vel tribus locis in quibus haec perversa doctrina manifeste evolvebatur, dubitare coepit num hoc opus can. 1399 prohiberetur.

Sol.—«Ut liber ille historicus hoc canone prohibeatur, necesse est (quod raro continget) ut materialismum non tantum exponat, sed aliatis sophismatibus *propugnet*, itaque *fundamentum fidei evertere nitatur*. Plerumque autem non prohibetur, quia in libro, cuius argumentum historicum est, non solet huius modi aperta materialismi propugnatio proponi, quamquam saepe e modo loquendi et iudicandi appareat perversa mens scribentis, vel etiam obiter systema materialisticum evolvatur, utputa dum fatalitatis legibus facta historica explicantur». Sic Genicot.*

449 C. IV.—Iulius, scholarum publicarum alumnus, legit et apud se retinet piures libros prohibitos, eo quod magistri eos praecipiant.

Sol.—«Si libri illi vetantur iure naturali, seu in concreto constituunt proximum periculum gravis peccati, nulla ratio efficit lectionem licitam; ideo, sub gravi, aut lectio omittatur, aut media adhibeantur, si quae sint, ut periculum proximum fiat remotum. Si vero lege tantum Ecclesiae prohibeantur, Iulius qui a magistro ad lectionem et retentionem libri obligatur, licentia non indiget. Suadendus autem est ut oratione, sacramentorum frequentatione et mortificatione animum contra pericula corroboret et ut viros doctos vel libros aptos adeat ad errores diiudicandos et refellendos». Ita Pistoni².

450 C. V.—Piures apud Eucherium se accusant paenitentes quod legerunt libros, non ex professo obscenos, verum parum honestos. Num graviter peccarunt?

* Genicot, *l. c.*, 241.

² Apud Palazzini-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 240. ■

Sol.—Fanfani respondet: Negative, quoniam haec lectio «etsi sine causa fiat, secluso consensu in delectatione venerea, non excedit veniale: sane, periculum non est in casu tam proximum. Ergo secluso omni pravo affectu, peccatum nequit excedere malitiam causae a qua promanat, idest malitiam curiositatis vel levitatis: quae per se non excedunt veniale» x.

C. VI.—Utriusque sexus iuvenes pandunt Marino confessario se deditos lectioni librorum romanensium. Confessarius nescit quod iudicium ferat de peccato 451

Sol.—Fanfani iterum: «Qui legunt libros romanenses, etsi minus honestos, non statim damnandi sunt de peccato mortali; neque cogendi sunt sub gravi ut huiusmodi libros dilacerent aut comburant» Sed Mare³ approbat Berardi regulam: «Quoad lectionem librorum romanticorum, qui de amoribus tractant, in praxi distingui debet inter lectionem assiduam seu frequentem, et fortuitam seu raram. Prima, speciatim quoad iuvenes, ut plurimum, sub gravi interdici debet; secunda non item, saltem ordinarie». Pariter Aertnys-Damen: «Noxia tamen est eorum lectio, quia utilium librorum fastidium ingerit, animum ad profanos amores incendit, sic aue obtenebrat, a Deo alienat, et ad vitia inclinat. Unde periculi gravitas plurimum pendet a circumstantiis, nempe a fine libidinoso, a lectoris aetate, indole, moribus, maxime vero a lapsuum experientia. Propterea hi libri omnes periculosi sunt iuvenibus, et ordinarie periculum proximum aderit pro iis, qui toti sunt in huius-

³ Fanfani, *Th. Mor.*, III, 248—«Item iuvenes, qui ex curiositate uilexics quaerunt verba obscoena, per se graviter non peccant» (Noldin *Th. Mor.*, *Compl.* de sexto, etc., n. 59, ed. 1932).

J Fanfani, *l. c.*

» Marc, *l. c.*, n. 809.

modi libris legendis; non vero pro iis, qui interdum aliquem legunt»

Huc e volumine superiore Casus accedant: Legens librum quem ignorabat vetitum quemque legeret conscius prohibitionis (I, 83); Legens librum quem falso putabat vetitum sub poena excommunicationis (I, 182).

XVI. COOPERATIO AD MALUM

Doctrina.

452 Cooperatio ad malum, quam diversimode intellegunt ac distribuunt diversi Auctores, mea quidem sententia definiri debet: concursus praestitus pravae alterius actioni²; atque praeter cooperationem physicam in actu, instar participantis in actione, complectatur oportet cooperationem quoque moralem, instar moventis eum qui agit—causa enim causae est causa causati—, puta mandato, prece, consilio, etc.—de reliquo, vel moraliter cooperans iniustitiae tenetur saepe ad restitutionem, existit enim causa eaque efficax damni, cum ipso scilicet non movente alius nec damnum intulisset.

Cooperationem ergo distinguimus imprimis positivam et negativam. Haec altera, qua quis influit scilicet in peccatum alienum omissione dumtaxat actus proprii

¹ Aertnys² *De* men, *l. c.*, n. 506.

³ Sicut scandalizans praebet occasionem ut alius male agat, cooperator ad malum operatur simul cum alio pravum actum; ille occasionem peccandi praebet causae, hic influit in communem effectum; proximi peccatum, ei qui scandalo activo atque directo peccat volitum, est cooperatori et voluntarium (cf. I, 37). Ideo, quantumvis cooperatio ad malum involvat saepe scandalum—puta si sollicitatio fornicationem antecedit—, interdum est ipsa sine scandalo—v. gr., penes discernentes voto secreto, absque conspiratione. Iniquam legem vel sententiam—, et scandalum sine illa—ut cum qui sollicitatur ad peccatum peccare renuit.

debiti, facile revocatur ad scandalum indirectum (378); et iueo si solo praecepto caritatis tenetur quis impedire peccatum proximi vel peccati effectus, contra solam caritatem peccat—contra caritatem nempe in proximum peccantem vel in proximum qui damnificatur a peccante—; si tenebatur autem et praecepto alterius virtutis, contra hanc quoque virtutem peccat (383n), cuius officium negligit. Non tamen necessario, ubi peccatum proximi sit dumtaxat permissum, contra virtutem laesam ab agentel.

Cooperationem vero positivam—qua quis videlicet 453 influit in peccatum alienum per positionem actus—subdistinguiamus in cooperationem moraiem atque physicam: illa est iubentis, consulentis, etc., ideoque nonnumquam pravum exemplum dantis²; haec, contra, est participantis in actione. Porro de morali cooperatione

1 Parentes igitur si propterea peccant quod non corripiunt filium impudicum, peccant impietate, non luxuria. Civitatis autem custodes, si culpabiliter non obstant furto, peccant contra iustitiam et ad restitutionem quoque adstringuntur.

3 Pravum exemplum, si ut in pluribus soli scandalo, interdum aequallet cooperationi ad malum. Raro quidem contingit prsvum exemplum dari instar motionis, qua adstantes nempe inducantur ut male agant: sed mtantum qui modo agitur cooperator influit in effectum in quantum movet causam (452). Si tamen in adiunctis quod exemplum praebetur moveat revera a'los ut ipsummet sequantur, tunc adest cooperatio moralis, lure Waffelaert: «Ne peut-on pas considérer l'exemple de deux manières: quasi matériellement pour un acte posé devant d'autres: ou formellement comme exemple, c'est-à-dire comme type ou modèle d'agir? Ce sont les circonstances qui décident si un acte posé est un exemple dans le sens matériel ou dans le sens formel indiqué; ainsi, vous savez que ceux qui vous entourent, attendent votre manière d'agir, pour se décider à agir également, pour trouver les moyens, etc.; si vous posez l'acte, c'est un exemp'e formel que vous donnez. Nous croyons que dans ce dernier cas, il faut donner raison aux Auteurs qui affirment l'efficacité de l'exemple comme cause; tandis que. dans le premier cas. les autres soutiennet avec justice, que donner le mauvais exemple équivaut à donner occasion de péché» (*Etude de th. inor. sur la cooperation...*, p. 149. ed. 1883).

difficultas nulla: cum habeat etenim peccatum proximi obiectum voluntatis, cooperator peccat non modo scandalo sed et peccato quoque ad quod inducit.

Quaestio ergo reliqua, de cooperatione positiva et physica, quae praestari potest actioni nec tamen intentioni, aut actioni et intentioni simul. Hanc alteram—in qua una est intentio cooperatoris et alterius agentis—dicimus *formalem*; illam vero—ubi alia est intentio cooperatoris et alia alterius agentis—vocamus *materialem*; quam et distinguimus *immediatam* atque *mediatam*, prout attingit ipsum actum peccati aut aliquid conexum cum peccati actu, sic nempe ut agenti ministretur aut auxilium in ipsum actum pravum, aut medium, ex se vel ex circumstantiis, determinatum cuius opera utatur agens ad exsequendum, saltem facilius, pravum actum. Cooperatio mediata, denique in *proximam* atque *remotam* subdividitur, prout quae media praebentur plus influunt aut minus, plus minusve accedunt actui pravo.

454 His praemissis facile innotescit: cooperationem physicam et formalem actui pravo numquam esse licitam—haec enim cooperatio malam importat intentionem, vel approbationem intentionis pravae—; immo vel cooperationem physicam materialem et immediatam—quae dicit malum actum—, extra materiam unius iustitiae—in qua legis obiectum ponitur ex adiunctis extra legis provinciam, prout furtum, rei nempe alienae, desinit esse furtum in extrema necessitate, in qua omnia communia.

At cooperatio physica materialis mediata quandoque est licita, cum actio nempe cooperativa non sit de sese mala et adsit proportionata causa permittendi alienum peccatum—nam neque caritas nos urget ut proximum prae nobis diligamus, cuius propterea interpediamus

maium cum pari vel maiori nostro incommodo; neque praecepta ceterarum virtutum, quantumcumque vetent et nobis ne ipsa velimus ab aliis violata aut faciamus ab aliis violari, obligant perpetuo ne demus proximo occasionem ut illa transgrediatur—. Res ergo ad normam voluntarii indirecti est indicanda l.

Quapropter gravior causa petitur ad excusandam 455 cooperationem physicam materialem et mediatam proximam quam remotam. Hinc quae causa sufficit ut quis cooperetur damno unius, non sufficit ut cooperetur damno multitudinis; quae sufficit ad cooperandum peccato sine te patrando, non sufficit pro cooperatione ad peccatum quod, te non cooperante, impediretur; quae sufficit ad derogandum obligationi communi caritatis, non sufficit ad derogandum obligationi peculiari v. gr., ex officio, pietate, etc.².

Casus primus.

Marcellina, quae infirmis in publico valetudinario 45G ministrat, cum suam artem bene calleat atque in eadem exercenda sedula sit, animadvertit medicum quendam, peritissimum sane at inhonestum, ut impudicis feminis morem gerat quae prolem vitare cupiunt, haud semel hysterectomiam affabre simulato uteri cancro peragere.

² Cf. I, 159.—Quae cooperatio mala pronuntietur malitiam induit, praeterquam ut plurimum scandali (381). eiusdem speciei atque peccatum cui ministratur copia. Si enim frequenter complex in peccato dat alteri et peccandi, affective aut saltem effective, occasionem, hoc ipsum a terius peccatum est illi volitum; in se quidem, ubi cooperatio formalis sit vel immediata vetita; in causa vero, ubi mediata, tamen illicita.

¹ Gravior propterea ratio exigitur pro licita cooperatione parentum ad peccata filiorum, magistratuum ad delicta civium. Si mercatores igitur speciali lege prohibentur ne arma letalia, potiones venenosas vendant vel similia, incommodum quod prae lege excusaret potest lege lata non purgare cooperationem.

Eadem potuit aliquando, feminarum dolum coniciens, medicum praemonere atque operationem impedire: non enim ille tunc ausus est eam exercere. At plerumque medico cooperari tenetur.

Hinc confessarium adit, ab eodem quaerens num eidem liceat id peragere.

Solutio

II.

457 Non agitur in casu de excisione uteri gravidum vel uteri cancerosi, sed de excisione uteri revera sani, quapropter de mutilatione graviter illicita; nec illicita tantum ex propriis, sed insuper ex fine operationem tum feminae postulantis tum medici peragentis—quippe qui pravae intentioni feminae consentit.

Hic autem medicus, ne inhonestus ab aliis deprehendatur, simulat cancerum uteri suggeritque feminis ut se tali morbo laborare asserant. Marcellinam tamen non fallit. Rei igitur conscia, potens haec fuit nonnumquam quae fallaciam proderet et a pravo proposito medicum amoveret. Plerumque tamen dicitur teneri ut ipsi cooperetur.

Haec cooperatio, duplex: negativa, per omissionem monitionis, denuntiationis, etc.; et positiva, per actionem ministerialem pravae hysterectomiae.

458 Quod attinet ad cooperationem negativam, Marcellina de facile excusatur: ipsa etenim valetudinarium publicum non regit nec officium habet invigilandi medicos. Quoties, insuper, dolus feminarum non satis liquet, monitio videretur temeraria. Quoties autem cancerum affabre simulatur, denuntiatio superioribus maneret absque fructu: quas probationes afferret contra medicum? Nisi agatur igitur de valetudinario cui integerrimi prae-

sint officiales parati suspectum medicum observare inhonestumque expellere, denuntiatio atque praemonitio plenae sunt incommodo: Marcellina incidet in gravem invidiam medici, fortasse et medicorum; inde facile dimittetur ab officio; semelque diffamata uti delatrix, aegre ad ministrandum recipietur alibi. De cetero, ministerium cui modo vacat non caret fructu: vitat enim quasdam operationes illicitas et. attenta eius probitate atque religione, non videtur improvida spiritualis curae infirmorum. Ob cooperationem negativam ergo non est carpenda.

Eius insuper cooperatio positiva non est formalis: 459 certo non dat consensum pravae, feminarum aut medici, intentioni. Immo neque materialis videtur immediata: non etenim apparet ipsam excisionem uteri peragere, sed medico ministrare operationem exsequenti. Num eius cooperatio mediata sit remota aut proxima non satis liquet. Verum proxima quoque cooperatio cohonestari potest proportionata causa. Confessarius ergo petat a Marcellina quam adhibeat cooperationem materiales et cur asserit se teneri ad praestandam hanc cooperationem. Cum artem suam bene calleat atque in eadem exercenda sedula sit, theoretice quidem non erit ipsi arduum in alio valetudinario ministrare Practice tamen, eritne facile? Sed neque ullus omnino medicorum vacabit hic operationibus aequae illicitis? Ceteroquin, eius a primo egressus non vitabit quos comperit abusus; praeterquam eius in ipso permanentia valde est proficua. Quapropter, nisi partes activas habeat in illicita uteri excisione, confessarius pronuntiet ipsi licitam in admetis cooperationem, remotam quidem ratione famulatus seu officii', immo atque proximam, si

» Famulatus ratio sufficit ut quis mundet vel calefaciat cellam in qua intendit chirurgus operationem illicitam peragere: quae tamen non sufficeret ut quis praeparet corpus vel operationis instrumenta.

iure timet ne valedicens praesenti ministerio careat diu vitae necessariis. |

Alii casus.

460 C. II.—In regionis pluribus hospitiiis religiosae seu Sorores ministrant., quae propterea nonnumquam scrupulis anguntur dum ipsarum cooperatio petitur pro chirurgicis operationibus illicitis.

Sol.—Ad id Vermeersch: «Zn *nullo hospitio*, ut liquet, Sorores illicitae actioni formaliter cooperari possunt; sed materialis cooperatio minus difficulter in hospitiiis publicis quam in privatis excusari potest. Ad commune enim religionis bonum et plurimarum animarum salutem refert ut Sorores potius quam feminae laicae aegrotis in publicis nosocomiis ministrent. Quare, excepta formali cooperatione seu executione ipsius illicitae operationis, utputa certo illicita morphii infusione, quam omnino recusare debent, materialis cooperatio, etiam purgandi et disponendi instrumenta, lavandi et praeparandi corpus pro operatione, et translatio infirmi in operationis locum, damnari non poterit, secluso scandalo, quod satis commode, v. gr., declaratione, removebitur. Si vero agitur de *privato medici hospitio*, in primis, antequam operam suam et Sororum promittant. Superiores cautiones sumere debent, ne umquam aliquid contra conscientiam Sororum petatur; atque neganda est omnis cooperatio etiam materialis, nisi forte remotissima, ut est ipsa exceptio personae laborantis maio, in cubiculum a Sororibus adornatum. Demum, si *ad ipsas Sorores* dominium hospiti pertineat, ipsae, in contractu cum medico, cavere debent ne ullus medicus advocetur vel admitatur qui quidpiam illicitum attentet. Ac solum in casu extraordinario, non praevisto, locus erit tolerandii

actionem, in se illicitam medici, et materialiter cooperandi, ad peiora mala vitanda» I.

C. III.—Num latroni mortem minitanti cooperari liceat materialiter et immediate incendio domus vel subreptioni pecuniae? 461

Sol.—Affirmative, nam in extrema necessitate id quod hucusque erat res aliena desinit esse aliena et fit communis; et ideo quod erat materia iniustae damnificationis vel acceptionis, non est amplius talis (I, 60).

C. IV.—Heribertus declarat confessario se adiuvasse Sabbatium ad devastandos domini agros; id autem fecisse ne Sabbatius procederet ad domini occisionem 462

Sol.—Heribertus non est carpendus, nam dominus rationabiliter censetur malle privari opibus quam vita.

C. V.—Cisellum pharmacopolam mulier quaedam adit medicinam petens quae, licet pluribus inserviat, saepe tamen ad abortum procurandum adhibetur. Id futurum esse in casu Cisellus ex omnibus circumstantiis vehementissime suspicatur; at quaesitum remedium mulieri nihilominus praebet. Verum, cum vir catholicus sit atque continenter studeat, in sui muneris exercitio, morum honestati consulere, confessarium interrogat nun recte egerit. 463

Sol.—Cisellus, non ultro, sed rogatus medicinam vendidit cuius efficacia ad plura se extendit praeterquam ad abortum procurandum. Suspicatur quidem vehementissime medicinam in adiunctis peti pro abortu perficendo; dubium attamen non deponit. Quapropter venditio medicinae, est graviter illicita, obiective loquendo, et Cisellus debuisset mulieri respondere se pro momento

nac medicina vacuum (quam ipsi nempe vendat). Subjective attamen non videtur graviter deliquisse, cum dicatur continenter studere, in sui muneris exercitio, morum honestati consulere, quapropter videtur in casu existimasse alium, licitum, usum non exclusum, vehementissima suspitione non obstante \

464 C. VI.—Demetrius medicus invenit unguentum quo magnopere praeveniat atque sanetur veneris morbus. Consulit autem confessarium utrum possit propagare remedium: timet enim ne viri libidinosi magis incitentur ad secure peccandum.

Sol.—Ad hunc casum Genicot: «Demetrius non debet occultare remedium, quod reapse utile est ad multorum sanationem et ad praeveniendam infectionem innocentium. Immo caritas regulariter iubet medicum qui detexit utile remedium, ne hac utilitate privet ceteros homines. Neque timendum ne multo plus grassetur fornicatio. cum plurimi sint qui etiam sine talibus praesidiis vitio indulgeant. Si quidam, hoc remedio confisi, ad peccandum vel ad saepius peccandum adducantur, hoc, reapse existente causa proportionata in multorum valetudine, Demetrio non imputandum est, dummodo ipse in commendando remedio ne exaggeret vim praeventivam, neve ullo modo utatur verbis allicientibus quae videantur approbare vel provocare peccatum. Ad modum ergo loquendi in primis attendat oportet. Neque videtur obligatus tantum commendare vim sanativam remedii et prorsus occultare vim praeventivam: haec enim non diu latebit et ipsa habere potest usum licitum.

1 Pro futuro ei confessarius suadeat ut quaerat a cliente ad quem finem rredicinam postulet, aut petat ut sibi exhibeatur scripta medici praescriptio et alia eiusmodi; ex modo responsionis clientis, ex praescriptione medici atque huius fama et similibus adiunctis poterit medicinam denegare aut tota conscientia concedere. Ita Emus. Robertl. apud Paiazzi-De Iorio, *Casus Conse.*, I, 140. ■

puta inter coniuges ad notabiliter minuendum periculum pro parte adhuc sana»¹.

Huc e volumine superiore Casus accedant: Traditio innocentis tyranno alias minanti excidium civitatis (I, 132); Sterilizationis legem circumveniens (I, 392-5); Catholicus sive iudex sive advocatus quoad divortium non baptizatorum (I, 396-9).

XVII. COOPERATIO FAMULORUM

Doctrina.

Quae frequentior a famulis cooperatio petitur alia 465 est ad gulam ebrietatemque, alia ad luxuriam, tertia ad iniustitiam.

Probabilius, famulatus unica ratio non excusat famulum, cui certo constat de peccato heri ecclesiasticam legem abstinentiae violantis, a praeparandis et ministrandis domino cibis vetitis; item, ab apponendo vino cum herum praevidet inebriatum iri. Oportet ei imminere detrimentum notabile. Practice raro aderit certitudo aut grave damnum deerit.

Quoad luxuriam tria genera servitorum distinguen- 466 da sunt: a) quae de se ordinantur ad luxuriam; b) quae de se sunt indifferentia, verum in casu proxime concurrunt ad luxuriam domini; et c) quae ad hanc non concurrunt nisi remote. Servitia primi generis numquam sunt licita, nam important cooperationem formalem; v. gr, quaerere domino concubinam, invitare feminam ad peccandum cum domino, litteras (vel heri nomine) ad feminam scribere in hunc pravum finem. Servitia

» Genicot, *Casus Conse.* 172, ed. 1928.

alterius generis non licent sola ratione famulatus; oportet accedat causa gravis, immo interdum gravissima; gravis, v. gr., ad comitandum herum in locum turpitudinis. ad sternendum equum vel parandum currum hero profecturo, ad feminam, de domini intentione plane consciam, curru deferendam in domum domini, ad humerum praebendum hero ascendenti ad feminam non invitam; gravissima, nempe mortis¹ vel mali aequivalentis², ut famulus herum adiuvet, scalam deferens, humeros subiciens, ianuam vi aperiens ad stuprandam virginem. Postremi vero generis servitia licent famulo ob solam famulatus rationem, v. gr., aperire ianuam concubinae, quem ad modum ceteris advenientibus, si ipso non aperiente, alius tamen aperiet³.

467 Relate ad iniustitiam: ratio sufficit famulatus ad adiuvandum herum usurarium in pecuniis numerandis, rationibus scribendis, pignore deferendo; non tamen ad exigendas, nomine licet domini, usuras certas¹; neque ad opem domino ferendam in venditionem rerum quae peccato tantum inserviunt, sed sufficit alia gravis ratio, maxime si famulo dimisso heri venditio pergeret. Immo «gravitas malae (ex venditione) et scandalum coniunctum possunt esse tanta, ut ratio sufficiens nunquam vel vix umquam haberi possit, puta si agatur de tabernis quae ex professo, utut sub praetextu hygienico,

¹ Marc, *Inst. Mor.*, I, 521, ed. 1927; Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 403, ed. 1939.

* Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 492, ed. 3.—«Notandum est quod minae non semper veram coactionem constituunt; quid enim si famulus sciret herum suum esse de his qui semper minantur et nunquam minas exsequuntur?» (Berardi, *Praxis confessoriorum*, I, n. 781, ed. 1887).

³ Si casus iste frequens, curet famulus valedicere servitio domus eousque inhonestae atque periculosae, nisi inde sequantur sibi damna proportionate gravia (Lauraga-Lumbreras, *Prontuario de Teol. Mor.*, I, 385).

♦ Si famulus usuras exigeret vi vel metu, non tantummodo peccat sed ad restitutionem quoque tenetur, haec nisi a domino fiat.

media sic dicta neo-malthusiana annuntiant et exponunt»^{*}

Casus primus.

Alphonsus.. magna familia oberatus, operam suam locavit apud quendam negotiatorem, cui debet etiam auxilium ferre ad quandam mercium adulterationem faciendam. 468

Cum admoneatur a confessario de illicite huiusmodi cooperationis, respondet se hoc invitum facere nisi enim cooperationem suam praestet, timet ne a domino dimittatur et ipse in gravissimam necessitatem incidat.

Quid dicendum?

Solutio

Supponimus adulterationem mercium ideo fieri ut pretium habeatur iusto maius, nec agi de mixtionibus illis moderatis plane notis emptoribus, qui tamen communi pretio emere non recusant. Supponimus quoque Alphonsum non cooperari formaliter illi adulterationi; quamvis hoc non constet—nam. etsi dicat se cooperari invitum, revera cooperatur ob timorem; at timor causât voluntarium simpliciter, licet saepe involuntarium secundum quid; timens, aliis verbis, non vellet; crebro tamen vult. 469

Dicamus ergo Alphonsum cooperari materialiter sed immediate adulterationi; quo quidem in casu duplex quaestio: an eius cooperatio licita sit secundum se, an saltem in adiunctis.

Et secundum se quidem cooperatio videtur faciete- 470

1 Aertnys-Damen, *l. c.*

nus immunis a peccato, quod non mixtio sed venditio, mercis permixtae, pretio mercis integrae, sit contra iustitiam. Omnes tamen Auctores concordantes asserunt numquam licitum esse conficere instrumenta solum ad generationem impediendam apta, praeparare remedia tantum ad procurandum abortum ordinata, quamvis videri possit unum dumtaxat usum sive illorum instrumentorum sive horum remediorum importare peccatum. Porro aliud est mixtio—frumenti deterioris cum meliori—, et aliud adulteratio, sicut aliud pecuniae est imitatio et aliud falsificatio. Mixtio in primo casu et imitatio in altero non ordinantur de se in pravum finem: sed adulteratio et falsificatio in malum finem sunt ordinatae; ideo illae non sunt malae secundum se; hae secundum se sunt malae 1.

In adiunctis attamen vertitur materia iustitiae, in qua quidem contingit id quod erat obiectum legis poni, in quibusdam circumstantiis, extra legis provinciam (451); hinc dicitur furtum in extrema necessitate licitum². Quin propterea furari liceat in necessitate dumtaxat gravi (Denz. 1186). Cum ergo tota malitia adulterationis

» Non admitto igitur quae dicit cl. Lio (apud Palazzini, *Casus Cons**, *de iustitia et iure*, p. 89): «Adulterare aliquam rem non est (actio) intrinsece mala, sed fit mala cum per aliam actionem, libere et dolose positam ab alio, venditur tamquam pura et captando pretium miustum».

î «Haec conclusio de extrema necessitate est large intellegenda. Non est favendum divitibus et male tractare pauperibus. Non tanta licentia est danda divitibus, ut scilicet expectent, extremam necessitatem, quando iam est extremus anhelitus vitae, quando esté. boqueando; nec sic extrema necessitas est intellegenda, sed quando ille mediate vel immediate morietur. Sufficit ergo videre egenum lecto iacentem vulneribus sauciatum, vel quando venit fames quam diu tolerat, taliter quod ad mortem properat nisi ei subveniatur. Tunc certe est extrema necessitas, et licet a divitibus furari si sine scandalo fieri potest. Sic est de homine qui habet filios et uxorem, tamen nec habet unae illis subveniat nec lectum in quo cos reficiat, et properant ad mortem ex mala tractatione: tunc licet illi accipere a divite, secluso scandalo» (*Vitoria*, in *II-II*, 66, 7, n. 2, ed. Beltràn de Heredia).

mercium sit malitia furti, permittemusne furtum Alphonse si a domino dimissus | gravissime necessitati coniciatur? Quaestionem confessarius ne dirimat nisi postquam scrutatus fuerit casus circumstantias.

A l i i c a s u s .

C. II.—An sola ratione famulatus liceat famulo carnes apponere domino qui vult transgredi legem abstinentiae? 471

Sol.—Affirmative, iuxta quosdam, in ouibus Zalba 2, qui invocat responsum Cong, de Prop. Fide datum 26 iunii 1820. At responsum huiusmodi non favet huic mitiori sententiae. Quaesitum enim fuerat: «Plurimi de nostris tenentur emere vel coquere, aut apponere carnes omni die ad mensam protestantium. Si cogantur officium dimittere, nullam aliam artem sciunt qua sibi providere possint ad sustentandam vitam, et rediguntur ad extremam egestatem; potestne permitti aut tolerari ut sic faciant, cum sit tantum incommodum, et ex parte protestantium non fiat in contemptum Ecclesiae, de qua parum curare videntur, vel etiam forte non cogitant?», S. Congregatio respondit: «Affirmative, ob grave detrimentum quod inde in catholicos oriri poterit» λ Agebatur ergo, inter alia, causa excusans non una famulatus ratio sed damnum grave desertionem famulatus consequens.

i Scite tamen cl. Lio (*l. c.*, p. 90): «Damnum, quod Alphonsus timet non videtur semper facile credendum qua hodie maximae sunt assecutiones operariorum ex parte consociationum operariorum (vulgo: *Sindacats*). Unde per se non est facile domino famulum dimittere (vulgo: *licenziare*) ex eo quod famulus non cooperavit adulterationibus Unde timor est etiam ex parte domini».

» ZIM-BA, *Th. Mor.*, I, 1623. ed. 1957.

3 *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, n. 747, cd. 1907.

Quapropter respondendum, cum aliis, censeo: Negative.

472 C. III.—Num umquam liceat famulo deferre ad concubinam litteras amatorias domini?

Sol.—Difficultas est an huiusmodi litterarum delatio contineatur intra primum aut alterum genus servitorum (4G6). Plures, cum S. Alphonso¹ eam putant ad primum pertinere, quod hae litterae foveant amorem turpem et nullum alium de se habeant effectum; quapropter illam dicunt illicitam in omni casu. Alii, inter quos Fanfani² ipsam redigunt alteri, quam propterea licitam pronuntiant ob gravissimam causam, quoniam famulus agit ob unam intentionem vitandi malum proprium ac praecipue quoniam hic non habet explorare quale sit litterarum argumentum, quod ideo praesumere potest plane indifferens, prouti inter eos contingit qui se mutuo diligunt.

473 C. IV.—Num ob metum detrimenti notabilis liceat famulo herum suum humeris vel scala adiuvere ascendentem ad stuprandam virginem?

Sol.—Negative; fuit enim damnata ab Innocentio XI propositio: «Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur» (Denz. 1201).

474 C. V.—Laurentia, famula atque domino bene affecta, huius industriam approbat qua vinum ita diluit ut ip-

¹ S. Alphonso, *Th. Mor.*, II, 67, cd. Gaudé.

² Fanfani, *Th. Mor.*, I, 96.

sum sine negotio veluti merum vendat; quinimmo nunc aut iterum herum adiuvat aquam vino infundentem

Sol.—Quandiu dominum dumtaxat approbat adulationem perficientem, Laurentia non cooperatur adulationi: approbatio comitatur aut sequitur mixtionem, cuius non est causa. Cooperatur tamen cum herum adiuvat in mixtione facienda; et cooperatur certo formaliter (453), id est actioni et intentioni pravae, cum Id faciat quod mixtionem approbet, domino bene affecta.

C. VI.—Aurelius, ratiocinator apud quendam mercatorem, mercaturae et commercii libros scribit, referens 475
uuotidie in ipsos datum et acceptum, expensas factas, venditiones aliosque contractus. Hinc Aurelius bene cognoscit quod mercator, qui apud ipsum et apud alios simulat omni arte se esse omnino honestum virum et mercatorem, procedat e contra mala saepe fide, emptoles decipiat et socios commercii defraudet. Difficile sane est Aurelio alium invenire mercatorem vel alium quemcumque, apud quem suum possit officium exercere. Si vero ipse officium dimittat, quamplures alii iam parati sunt ad illud suscipiendum.

Sol.—Ad hunc casum Bucceroni: «Transcriptio dati et expensi nec non variorum contractuum nihil quidem *per se* influit in mercatoris fraudes. Has enim iam factas supponit. Quare nulla inde haberi potest cooperatio ad easdem fraudes. Neque vero animosior inde fit mercator, neque in suis fraudibus confirmatur, cum existimet se ab Aurelio aliisque haberi tanquam honestum virum. Neque item, si Aurelius suum dimittat officium, impedirentur ideo praedictae fraudes. Tandem grave adest incommodum, pro Aurelio, si officium dimittat. Aurelius ergo non tenetur dimittere huiusmodi officium ratiocinatoris. Quaestio alia moveri posset, an nempe teneatur Aurelius monere emptores et socios mercatoris

aliosque ab ipso defraudatos, ut sibi caveant. Affirmative respondendum videtur, si tamen id ipse efficere possit debita servata cautela, sine gravi suo incommodo, et quin scandalum inde provocetur. Tunc enim ex caritate tenetur, quantum potest, grave proximi damnum impedire»

XV in. COOPERATIO CAUPONEM

Doctrina.

476 Caupones dicuntur qui domum gestiunt in quam pro mercede extranei recipiuntur ad mensam, potum, oblectamentum vel hospitium.

Ipsorum cooperatio crebrior est ad violationem legis abstinentiae, ad ebrietatem, ad luxuriam et ad diarium pravorum lectionem.

Quoad cibos lege abstinentiae vetitos: hos nequeunt ultro seu sponte offerre iis quos noverunt nullam habere excusationem vel dispensationem; nequeunt insuper ministrare petentibus in odium vel contemptum religionis; ceteris petentibus ministrare possunt, gravi quidem de causa, si eos sciunt ad abstinentiam obligatos; absque gravi causa, quando nesciunt (cum inter tot hospites iure supponatur piures excusatos vel dispensatos esse, saltem in bona fide, et foret nimis onerosum cauponi singulos de legitima causa interrogare). Ubi consuetudo viget, possunt et communem mensam parare cibis vetitis et permissis, hospitibus electioni relinquentes —nisi agatur de sic dicta *pensione*, instar domus privatae, pro hospitibus catholicis.

¹ Bucceroni, *Casus Conse.*, I. 39, ed. 1913.

Quoad potum alcoholicum: hunc nequeunt sponte 477 offerre iis quos praevident se inebriaturos; nec ministrare iis qui potum petunt ut se inebrient. Cum causa licet potum ministrare petenti qui praevidetur eo abusus; causa autem non est sufficiens ipsum lucrum cessans ex non venditione potus denegati; sed vel notabile lucrum cessans ex magna inde deminutione hospitum, vel fundatus timor blasphemiarum, rixarum etc., ideo quod potus denegatus fuit. Absque speciali causa caupones possunt ministrare potum petentibus, etsi praesideant in confuso quendam vel quosdam inebriatos iri.

Quoad luxuriam, peccant gravissime caupones qui 478 secreta praebent cubicula pro exercenda libidine. Item, qui in suis domibus permittunt choreas plene lascivas sive turpes, «nisi turpitudine vel lascivia accidentaliter eveniret, v. gr., in choreis nuptiarum»^x.

Quantum ad diaria, denique, et ephemerides. Quae ex professo fidei vel bonis moribus adversantur, nequeunt caupones exponere legenda. Cetera, quamvis interdum aliquid contineant religioni vel moribus adversum. possunt concedere petentibus, si notabile damnum ex denegatione sit timendum, v. gr., ne hospites desinant ad cauponam confluere. «Solum si experientia constat hospites fere omnes ea folia petere eosque alias cauponam derelicturos esse, publice proponi possunt, modo simul etiam ephemerides bonae exponantur. Sic in maioribus civitatibus vix amplius impediri potest, quominus eiusmodi folia iam publice a cauponibus exponantur» 2.

ⁱ Marc, *Inst. Mor.*, I. 522, ed. 1957.

« Noldin, *Th. Mor.*, II, 125, ed. 1932.

Casus primus.

479 Eleutherius publicum aperuit diverticulum in Alpium Italicarum regionibus. Declarationibus clientium plene fidens quamvis dubia positiva exoriantur, cellas pseudoconiugibus non denegat, nec occasiones peccati amovendas curat, quia secus timet clientes diverticulum deserturos. Ita choreas, licet raro, haberi sinit ac aleatorios ludos, qui expresse a lege non prohibentur.

Dum ad paschalem communionem accedit a confessario reprehenditur. Confessario autem Eleutherius respondet caupones hodiernos, si volunt honestum lucrum attingere, non posse aliter agere.

Quid dicendum?

Solutio

480 1.° Quoad cellas seu cameras petentes. Si generatim inquisitiones non sunt faciendae de personis quae tamquam coniuges se praesentant quando tamen certus est caupo non agi de coniugibus. eos debet repellere, tum ne ipsorum luxuriis videatur consensum dare vel approbationem, tum ne scandalum aliis praebet et occasionem confugiendi in eius diverticulum; sic salvat vel bonum nomen diversorii, ad quod ideo invitantur plures honesti Si vero positive dubitat an agatur de veris aut de falsis coniugibus, utatur legis civilis patrocinio et petat documenta personarum; si inde amittet forsitan quosdam clientes, lucrabitur alios plures, honestos nempe.

481 2.° Quoad choreas, quas sinit (dumtaxat) fieri in eius diversorio. Si choreae sint indecentes, seu indu-

I Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 144, ed. 1928.

cant proximum periculum peccandi (ob modum sive saltandi sive vestiendi, vel ob nimiam frequentiam, nocturnum tempus, effrenationem saltantium), eas non licet cauponibus permittere, nam permissio aequipollet approbationi vel consensui et cederet ceteris in scandalum. Alias, contra, consuetas maxime, possunt quidem permittere, invigilantes attamen ne convertantur in inhonestas I.

3.° Quoad ludos, denique, aleatorios. Non sufficit 482 ludos quos caupo sinit in eius fieri diversorio non esse lege civili vetitos; oportet insuper sint permessi superiore lege, naturali utputa, quapropter ut ii soli ludant qui liberam habent administrationem praemii expositi, ludant sine dolo, fraude, coactione, sit ex utraque parte moralis aequalitas periculi, nec exponatur tanta summa ut exinde familia vel creditores damnum patiantur.

Confessarius igitur bene fecit Eleutherium nostrum 483 reprehendens si cellas concedit iis quos certo novit pseudoconiuges aut de quorum unione coniugali positive dubitat; si domum locat pro choreis inhonestis nec prudenter invigilat ne honestae in inhonestas convertantur; si, sinens ludos fieri lege concessos patriae, non adhibet curam debitam ut condiciones quoque serventur necessariae ex naturali lege.

Eleutherii excusatio, quod hodierni scilicet caupones, si volunt honestum lucrum attingere, non possunt aliter agere, est prorsus vana. Amittens quosdam clientes, alios certe lucrabitur honestos. Timens autem ceterorum cauponum competentiam, hos potest civili auctoritati denunciare utpote legum inobservantes.

i Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, II, 496, ed. 1939. Noldin, contra (*l. c.*, η. 127r; «Locantes aulas (pro choreis) remote cooperantur: quare iam causa amittendi lucrum eos excusat, etsi choreae sint inhonestae, quando iosis non locantibus adsunt alii, qui in hunc finem domum suam locabunt».

484 C. II.—Cambrinus caupo liquorem alcoholicum iis praebet quos videt ebrietati proximos; an licite?

Sol.—Respondet Genicot: «Raro fiet ut Cambrinus licite ministret liquores alcoolicos iis qui iam fere ebrii videantur. Hoc enim ut liceat, requiritur timor gravis damni e denegatione secuturi. Iam vero plerumque liquores alcoolici in his adiunctis denegari poterunt quin propterea ipsi petentes, plene sui compotes facti, serio irascantur aliive cauponam deserant: immo etiam viri probi facile deserent cauponam in qua ebrietas toleratur. Hoc eo magis vaiet in regionibus (ut in Belgio) ubi ipsa lex civilis prohibet semi-ebnis potum propinare: in his adiunctis profiteatur simpliciter Cambrinus se legem servare» l.

485 C. III.—Praevidens neminem val paucissimos petitu-ros esse cibos esuriales, Dominus caupo, cibos dumtaxat vetitos tempestive praeparat; hinc difficilem se ostendit erga illos qui esuriales postulant, sive ob moram in praeparatione, sive ob inferiorem cibi qualitatem vel copiam, sive ob pretium immodicum. Quid dicendum?

Sol.—Si experientia novit neminem vel paucissimos petitu-ros cibos esuriales, non peccat Dominus olios dumtaxat praeparans et mensae apponens. Peccat attamen cum se difficilem ostendit erga ceteros, eos indirecte stimulans ad abstinentiae legis inobservantiam—praeterquam peccat contra iustitiam pretium immodicum re-
poscens.

486 C. IV.—Domesticos convivas Pigmenius habet nonnullos studentes qui frequentant. Universitatem; angli-

« Genicot, *Casus Conse.*, 56, ed. 1928.

tur vero quod interdum unus vel alter cibos petat ab Ecclesia vetitos; ideo quaerit a confessario quomodo se gerat erga istos.

Sol.—Respondet Merkelbach: «Qui in familia privata apud se habent paucos convivas, pretio per hebdomadam vel mensem accepto, non tam facile debent in die vetito carnes apponere convivis istis etiam petentibus, saltem in regionibus catholicis: in domo enim privata facilius servari potest lex abstinentiae quam in caupona publica; et ideo paulo maior requiritur et difficilius occurrit ratio cooperandi ad legis violationem. Causa tamen mediocriter gravis sufficere videtur, si peccatum negata ministracione impediri nequeat et non adsit scandalum pro aliis» x.

C. V.—Valerianus caupo religiosus est quidem maxime sollicitus ne cooperetur, etsi materialiter, sine causa proportionata violationi legis abstinentiae; sed quoad observantiam legis ieiunii multo minus sollicitatur. <87

Sol.—Si agitur de ciborum (esurialium) quantitate, iacilius caupones excusantur qui diebus ieiunii, mane aut vespere, hospitibus apponunt, piures cum sint a ieiunio exempti quam ab abstinentia, v. gr. ob laborem, infirmam valetudinem; «ideoque quemque relinquere possunt conscientiae suae» 2.

C. VI.—Nicolaus fatetur confessario se quidem in caupona exponere diaria ex professo adversa religioni bonisque moribus; sed ideo quod ipsa petunt hospites, non ad articulos legendos, verum ad nuntia haurienda de Bursa et de mercatu quibus illa eaque sola abundant. 488

Sol.—Nicolaus noster non est inquietandus. «Hoc

› Merkelbach, *Th. Mor.*, II, 976, ed. 3.

s Aertnys-Damen, *L. c.* I, <04.

autem in casu, dominus hospitii, meliori quo fieri potest modo, debet significare, se, ob praedictam solummodo rationem, tania folia exponere, nec eorum argumenta probare. Ipsi etiam advigilandum est, ne citra necessitatem exponantur, utque quamprimum destruantur»¹.

Huc e volumine superiore Caszts accedat: Num ratio excusans cauponem afferentem carnes hospiti diebus abstinentiae, ipsum excuset pariter carnes praebentem vetitas propriis filiis (I, 172).

XIX. ARTIFICUM ET MERCATORUM COOPERATIO

Doctrina.

489 Artifices dicuntur qui rem efficiunt; mercatores autem, qui rem vendunt. Cum agitur de libris, ephemeridibus, diariis tum artifex tum mercator specificum nomen obtinet, typographi nempe atque bibliopolae. Dicemus ergo de artificibus et mercatoribus in genere; inde, in specie, de typographis et bibliopolis, immo de ceteris quotquot ephemeridis vel diarii diffusioni favent.

Res efficere aut vendere quae ex se non habent nisi pravum usum numquam licet, v. gr., instrumenta ad solam generationem impediendam vel pharmaca ad unum abortum procurandum apta; nisi certo constet aliquem illa petere in alium, bonum, finem, v. gr., pro studio vel instructione in scholis medicinae. Neque licet efficere aut vendere res quae ad malum usum destinari solent, v. gr., venenum et pharmaca abortiva, ex se tamen aliis etiam usibus utilia; nisi aut constet petentem non ipsis abusurum—alias moraliter certa datur peccandi occa-

¹ Marc, I. c.

sio—aut adsit causa proportionate gravis Res ceteras iacere atque vendere licet sola lucri ratione, etsi in genere praevideatur eis multos abusuros, nisi confectio- nem vel venditionem lex prohibeat² aut constet de pe- tentis intentione prava (quae non est praesumenda), quia tunc requiritur proportionata causa, quantumcumque res denegata ab uno facile ab aliis haberetur

In typographia cooperantur proxime qui typos ordi- 490
nant, chartam typis imprimunt, prima specimina corri-
gunt, dirigunt impressionem, etc.; remotam vero qui
atramentum parant vel chartam, libros impressos or-
dinant, ignem admovent machinae, etc. Et si quidem
rypographiae praecipuus sit scopus librorum vel ephe-
meridum vel diariorum publicatio quae ex professo ad-
versantur fidei vel bonis moribus, cooperatio tam pro-
xima quam remota illicita. In aliis vero typographiis in
quibus huiusmodi scripta raro dumtaxat typis dantur,
licet cooperari remote ob causam gravem; immo vel
ipsi qui proxime cooperantur, at nescientes quid editur,
videntur ob similem causam excusandi.

«Librorum venditores libros (442n) de obscenis ex 491
professo tractantes ne vendant, commodent, retineant;
ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam li-
centiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam
vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore
legitime peti» (can. 1404).

Cooperantur, denique, saltem materialiter ad ephe-

1 Causa requiritur eo gravior quo gravior abusus praevidetur: gra-
vior igitur si praevidetur re negata peccatum impediendum; si petens
sit abusurus re in damnum tertii, metus mali exigitur, ex denegatione.
acqulvalentis.

- «Si operibus alicuius artis ut pluries aliqui male uterentur, quam-
vis de se non sint illicitae, sunt tamen per officium principis a civitate
extirpandae» (S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, 169, 2, 4.m.)

meridum et diariorum pravorum conservationem et diffusionem scriptores, qui in eis collaborant, annuntiatores, qui venalia nuntiant, subscriptores qui pecuniam et nomen dant. Horum omnium cooperatio, quantumvis materialis, eo graviolem exigit causam quo in publicationis vel subsistentiam vel commendationem influxum validiorem exercent.

C a s u s p r i m u s .

492 Principalis proprietarius et actionista cuiusdam societatis pharmaceuticae italicae ad perfectam conscientiae suae tranquillitatem hunc proposuit casum Arimino confessario.

Societas pharmaceutica suppeditat fere 200 genera medicamentorum tabernis in regione, in qua sita est. Inter haec medicamenta sunt etiam quaedam communiter adhibita, licet non exclusive, ad frustrandum matrimonii finem.

Rationes, cur actionista principalis, vir vere catholicus, consensum dederit ut haec medicamenta distribuuntur a societate a se directa, sunt sequentes:

a) Plus quam moraliter certum est fore ut alii distributores illorum medicamentorum instituantur, qui exclusive illis propagandis operam dent, si ille ea reiciat; quapropter nisi ita faciat, ea medicamenta magis propagentur ac maius damnum habeatur.

b) Qui dicuntur negotiorum societatis actores (agenti) vetantur data opera divulgare illa medicamenta in clenco medicinarum societatis enumerata, sed solummodo ea suppeditant si requirantur.

c) Societas tenetur vi legis civilis dare illa medicamenta, si medicus praescribat. Hoc in casu ergo petere deberet ab alia simili societate haec medicamenta, si eadem non haberet a se confecta.

d) Lucrum quod societas ex venditione illorum medicamentorum accipit, nullo modo comparari potest cum illo proveniente ex venditione aliorum medicamentorum. Etenim non videtur excedere 5 pro 100 totius lucri.

Quam responsionem confessarius dabit?

Solutio

Agitur de confectione, de distributione tabernis et de 493 venditione clientibus medicamentorum quae communiter adhibentur, etsi non exclusive, ad frustrandum matrimonii finem, prolem nempe; de distributione et venditione lege civium licitis—vi etenim huius legis societas tenetur medicamenta illa suppeditare, si medicus praescribat.

Porro, cum haec medicamenta communiter habeant usum pravum, communiter petuntur in hunc usum. Non licet igitur ea vendere clientibus nisi constet abusus periculum abesse aut gravissima causa proportionata excuset. Neque licet ipsa suppeditare tabernis regionis, quas non constat esse de periculo sollicitas, nisi ob proportionatam seu gravissimam causam.

Causas Igitur signatas perpendamus.

494

a) Nisi ita societas illa agat, medicamenta, de quibus quaestio, magis ab aliis distributoribus propagabuntur ac maius damnum habebitur. Tamen, si non sunt facienda mala ut veniant bona (Rom. 3, 8), a fortiori ne maiora mala vitentur. De cetero, confectio aut distributio horum pharmacorum facta a societate cuius principalis proprietarius et actionista notorie vir catholicus est vere scandalosa.

b) Medicamenta, quae in casu, a negotiorum societatis actoribus non divulgantur sed suppeditantur, nempe tabernis, si requirantur. Bonum quidem est quod acto-

ies a divulgatione prorsus abstineant. Malum autem, quod suppeditentur quandiu non constat de abusus periculi remotione.

c) Ex lege civili medicamenta illa tradenda sunt clientibus si medicus praescribat; forent ergo petenda ab alia societate, in propriarum defectu. Non adest attamen grave incommodum in eo quod medicamenta a medico praescripta, si revera negari nequeant, ab alia postulentur societate; ipsa mora reddet difficiliorem pravum usum et saltem absterget venditionem a nota scandali.

d) Lucrum quod societas obtinet ex illorum medicamentorum distributione et venditione est minimum, scilicet 5 pro 100 lucri totalis. Sed haec praecise ratio probat societatem nullum incurrere grave detrimentum, si abstineat ab illorum medicamentorum confectione, distributione et venditione.

Ariminius ergo confessarius consultantem moneat quod, si vir est vere catholicus, abstineat, pro conscientiae suae tranquillitate, ab illis medicamentis conficiendis, distribuendis et venundandis *.

1 Mitior, specie tenus, solutio cl. Felici, apud Palazzini. *Casus Consee, de iustitia et iure*, p. 73 s.). Praemiserat attamen: «Pharmacopolae est... e) Non vendere, etsi a medicis praescribantur, medicinas quae communiter fines pravorum intendunt uti remedia abortiva, venena sterilitatis, media anticonceptionalia...; si dubium supersit an haec omnia ad alium diversum finem praescribantur et adhibeantur, potest pharmacopola, multa tamen cum circumspectione, stare praescriptioni medicorum. p. 71). Adduxerat quoque verba Pii XII (allocutio diei 11 sept 1954; AAS 46, 1954, p. 538 s.): «Ipsi (pharmacopolae) cum probe sciatis hoc illudve apud vos vendibile natura sua aut mala utentium voluntate valetudini, vitae membrorum integritati nocere vel abditum in materno gremio germen extinguere, nullo modo petulantiae, lucro, fallacis nominis miserationi aeternae legis imperium et nutum posthabeatis» (p. 72). Concludit denique: «Post peractam investigationem confessarius videat ne casus sit urgendi apud illum proprietarium et actionistam, ut *vir vere catholicus* sua auctoritate commerciali utatur ad tollenda de medio illa medicamenta, potius quam ad illa, forsitan unus solus, efficienda et vendenda» (p. 74).

Alii casus.

C. II.—Herodion, missionarius in Sinis, inquit a 495
theologo num opii cultura atque commercium sint necne
illicita.

Sol.—Theologus remittat missionarium ad Instru-
ctionem S. Officii diei 29 dec. 1891, in qua post copiosam
enodationem legimus: «Ex his omnibus sequitur: 1. Opii
culturam non esse per se illicitam; in Sinicis autem re-
gionibus, ob abusus quibus obnoxiam esse ex diuturna
experientia certo constat, fieri illicitam, ac proinde chri-
stifidelibus generatim esse interdictam. 2. Nec secus de
commercio esse iudicandum quod, quamvis per se malum
non sit, malum tamen evadit ob graves abusus ex eo, ut
plurimum et fere universim, manantes et ob leges illud
vetantes; ideoque prohibendum non solum iis qui illud
directe exercent, sed etiam iis qui eidem favent, qui sci-
licet pecuniam scienter opii mercatoribus fenerantur,
vel agros in opii culturam locant...»¹.

C. III.—Priscianus, vir perlitteratus, unus est ex coi- 496
laboratoribus pravae ephemeridi. Quapropter a confes-
sario severe reprehenditur quasi cooperatores ad malum.
Jure aut iniuria?

Sol.—Iure penitus, quandiu illius collaboratio forma-
lis sit, per scripta nempe consona pravis ephemeridis
principiis. Si tamen per scripta indifferentia, de mathesi
puta vel de musica, distinguendum est inter collabora-
tionem ordinariam et extraordinariam: utraque quidem
est cooperatio, etsi materialis, ad commendandam vel
diffundendam ephemeridem; sed dum prima est proxi-
ma, altera est remota. Illa non excusatur nisi ob gra-

¹ *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 177G, ed. 1907.

viorem causam; haec, ob causam quoque mediocriter gravem, ab Ordinario loci probandam (can. 1386, § 2).

497 C. IV.—Quas res venales habet Silvanus nuntiat in periodicis religioni adversis quod, numerosiores cum haec lectores habeant, pluribus innotescant. Estne de cooperatione ad malum arguendus?

Sol.—Respondet Prümmer: «Non licet in diariis, quae sunt prorsus mala, i. e. contra religionem vel bonos mores aperte pugnantia, res suas locandas aut vendendas annuntiare; esset enim cooperatio ad ista folia pessima sustentanda. Si vero diaria non sint tam manifeste mala, liceret, iusta et gravi existente causa, annuntiare res ad commercium spectantes» * Vermeersch autem: «Qui nuntios mercatorios inserat, damno quod nuntii omissio afferret excusatur. Sane, magni momenti est pro ephemeride ut multos nuntios colligat; sed voluntas et utilitas insertionis posteriores esse solent ipsi iam factae ephemeridis diffusioni, ita ut omissio cuiuspiam nuntii prosperitatem ephemeridis parum afficiat» 2.

498 C. V.—Pravae ephemeridi Fidentianus propterea nomen dedit quod sic cum maiori utilitate negotia gerat. An licite?

Sol.—«Qui folio associantur et pecunia sua illud sustentant, propinque cooperantur; hos itaque solum gravis causa a peccato excusat, e. g. magna utilitas in suo negotio gerendo». Sic Noldin 3.

1 Prümmer, *Th. Mor.*, I, 622, ed. 1931.

2 Vermeersch, *Th. Mor.*, II, 153, ed. 1928.

3 Noldin, *Th. Mor.*, II, 124 ed. 1932. Qui opportune adicit: «Qui ex rationabili causa pravo folio nomen dare potest, duo praecavere debet: a) periculum perversionis; quare praeter ea quae ad ipsius negotium pertinent, licite nihil legere potest nisi mere Indifferentia: b) scandalum quod domestici et externi sumere possunt; quare hinc quidem declarare debet se habere iustam causam folium istud legendi, sed eius principia reprobare, inde vero curare debet, ne folium in domesticorum manus incidat.»

C. VI.—Una simul cum diariis et ephemeridibus catholicis, Heradius, periodicorum venditor in publica platea, suppeditat petentibus diaria, periodica et folia communistica. Redarguitur propterea severe a parochio. Iure aut temere?

Sol.—Opportune Simal distinguit: «Si diariorum venditor *non libere*, sed *vi vel moraliter coactus* tenetur vendere petentibus illa diaria, periodica vel folia, tunc, ex certa interpretatione ipsius S. C. S. Officii², non peccat; secus graviter peccat si deficiente proportionato incommodo, posset (venditionem) vitare, sed non vitat». Ratio primae partis, quoniam «venditor in casu bonum suum (quod maius vel saltem aequale malo est) intendit neque approbat malum praevisum (et exurgens ex causa indifferenti et ex motivo sufficienter gravi posita) quod moraliter saltem vitari nequit in iure suo exercendo» 3. Ratio vero alterius, «quoniam hoc in casu libere et scienter venderet et nihil faceret nisi *propagare* media com-

3 Sihna, *Annotationes ad decretum S. Officii de Communismo*, in *Apollinaris*, 22 (1949), p. 62.

3 «Emus. Card. et Ordinarius Panormitanus a S. C. S. Officii petiit utrum venditor diariorum tantum petenti et ex necessitate muneris diaria communistica vendens peccaret necne. Responsum diei 2 augusti 1949 ita sonat: «... In alcune città le organizzazioni sindacali dalle qua' dinendono le modalitè di distribuzione dei giornall presso i chioschi di rivendita, inststono con estremo vigore sull'obbligo del giornalai di non escludere dalle loro rivendite questo o quel glorr.a'e. sotto pena di vedersi negata la consegna di tutti gll altri giornall. In altre città invece, i rivenditori possono senza dlfficoltà sottrarsi a tale imposizione. E' chiaro che se il giornalalo può, senza suo grave danno, evit're la vendita del giornall proibitl, tale rivenditore, se non si attlene allé dlspozizioni del noto Decreto del S. Offizio, pone *scienter et libère* gll atti per i quali sono comminate le note sanzioni. Che se, invece, il glornalαιο trovasi sotto la coazione effettlvi dei suddetti sindacati, la sua cooperazione materiele può essere tollerata, fermo tuttavia restando sempre l'obbligo in coscienza di limitare quanto plù è possibile tale cooperazione; ciò che può essere fatto con le plccole industrie in cul gli slessl giornalai sono esperti, e che non è d'uopo qui elencare» (l. c., in nota).

s L. c.

munismi seu atheismi et antichristianismi et formaliter favorem praestare factioni communisticae» *.

500 *c. VII.*—An liceat administris viarum ferrearum, postarum, telegraphiarum, deferre pravos libros, prava diaria, prava telegrammata?

Sol.—«Affirmative; quia ad maiora mala vitanda, Gubernium potest eiusmodi articulos a politica commercii libertate non excludere, imo hodie eos excludere moraliter nequit; ergo et administri eos deferre possunt. Excipe tamen ea, quae lege forte excepta sunt». Sic Aertnys-Damen².

501 *c. VIII.*—Cuidam bibliopolae Remigius famulatur in libris deferendis ad emptores; attamen dubio angitur num ipsi liceat libros pravos iam emptos ad emptores deferre?

Sol.—Iterum Aertnys-Damen: «Licebit ex gravi causa; quia, postquam emptores librorum dominium acquisiverunt animo legendi illos, ea delatio non movet pravam eorum voluntatem, atque ideo cooperatio nonnisi materialis est»³.

XX. COOPERATIO AD RITUS INFIDELIUM

Doctrina.

502 Formalis fidelium cooperatio ad ritus infidelium numquam est licita, nam includit falsi ritus approbationem (453). Materialis tamen cooperatio non est vetita quando

* *Ibidem*, p. 63.

^a Aertnys-Damen, *Th. Mor.*, I, 406, ed. 1939.

³ *Id.*, lb.

coopérantes actio non sit mala intrinsece, intentio sit recta et adsit causa proportionata ad permittendum pravam effectum.

Causa autem proportionata eo gravior requiritur: a) quo ritus infidelium in gravius damnum cedit fidei religionisve nostrae, et ideo pro cooperatione ad ritum idolatricum quam ad mahumedanum, ad hunc quam ad iudaicum, ad iudaicum quam ad haereticum; b) quo probabilius est, te non coopérante, infidelem non exsecuturum quem intendit ritum; et c) quo propinquius cooperatio tua ipsum ritum attingit, gravior ergo pro cooperatione proxima quam pro remota.

In particulari:

A) Quoad sacramenta. Numquam licet parentibus 503 catholicis positive cooperari aut permittere ut liberi ab haeretico ministro baptizentur: sectam enim agnoscerent implicite; unde et supra (88) dicti fuerunt de haeresi suspecti. «In autem negative permittere et passive se habere non erit licitum nisi propter incommodum valde grave, quia cooperatio fit ad valde grave malum» x.

B) Quoad alios ritus. Iam die 2 iulii 1827 S. C. de 504 Prop. Fide hanc tradidit generalem normam: «Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos haec tenenda regula est: Si cooperatio fuerit pars ritus superstitiosi, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala et numquam fieri licita poterit. E contra censenda erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum quod oriatur coopérant!, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etiamsi scandalum adfuerit quod *pusillorum* dicitur a

i Merkelbach, *Th. Mor.*, I, 762, ed. 3.

theologis; quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud remove» *.

In fanis quapropter acatholicorum, dum ibi falsus cultus celebratur, non licet organum pulsare 2 Nefas pariter campanas pulsare quasi invitando ad officium vel concionem haereticam; si tamen simpliciter nuntiando officium vel concionem imminem, excusari poterit ob gravem causam.

505 C) *Quoad* templorum aedificationem. Extruendo templo acatholico non licet dare operam sive petitam in contemptum verae religionis sive aestimatam quasi signum protestativum falsi cultus aut indifferentismi religiosi³. Extra casus huiusmodi: a) in regionibus in quibus catholici et haeretici mixti cohabitant nec scandalum ullum est timendum, gravis equidem causa (qualis non est dumtaxat lucrum) excusabit vel catholicos ipsos ar-

¹ *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. 795, ed. 1907. Longe antea (5 apr. 1785) eadem S. Congregatio dixerat: «Omnem directam Christianorum cooperationem ad superstitionem vetitam esse, eosque praeter actus prohibitos, qui iuxta communem gentis existimationem ad cultum ido'is exhibendum referuntur. Neque eiusmodi actus excusari posse propter agentis aut ministrantis intentionem eo quod non ad superstitionem idolorum cultum, sed ad aliud indifferentem ministerium animum intendunt: privata enim agentis intentio haud valet a culpa abstergere actum, qui apud infideles tamquam ad cultum superstitionem directus existimatur. Ita quoque non satis idoneam excusationem praestare potest quod Christiani levi dumtaxat opera ac remoto ministerio ad superstitionem concurrant. Qualiscumque enim opera sit, quae directe pro superstitione impenditur, et quodcumque quamvis remotum ministerium, quod pro cultu idolis exhibendo praestatur, si ad causam indifferentem referri in communi existimatione nequeat, semper illicitum atque vitiosum est» (*Ibidem*, n. 576).

- S. Officium, die 19 iunii 1884 (*Collectanea*, n. 1713), ad preces quibus petebatur pro catholico facultas pulsandi in diebus festis organa in templis protestandis ad victum sibi procurandum, hoc dedit responsum: «Illicitum esse in templis haereticorum, cum ibi falsum cultum exercent, organum pulsare.»

² Hoc sensu Marc (*Inst. Mor.*, I. 523, ed. 1927) interpretatur quaedam decreta S. Officii quibus nullo in casu licita dicebatur cooperatio catholicorum ad templa falsorum numinum aedificanda vel restauranda.

chitectos; b) ubi haeretici, contra, recens inceperunt proprios errores seminare, constructio fani haeretici est sub mortali vetita catholicis architectis, conductoribus et dominis opificum; c) vel in altero tamen casu facile excusantur catholici muratores alique opifices subalterni, quorum maior egestas et minus principalis cooperatio l.

D) *Quoad* confectionem et venditionem rerum falso 506 cultui destinatarum. Agitur appneatio doctrinae supra (489) traditae. Si res ad falsum cultum ordinata sit, eam conficere aut vendere non licet; nisi constet petentem alia intentione duci, v. gr., si quis petit idolum. etiam in regione idolatrica, pro mero ornatu hortuli. At si res sit indifferentis, lucrum ex non venditione cessans non sufficit quando constat de pravo fine ementis; sufficit attamen quoties de hoc non constat².

Casus primus.

In quadam civitate hospitium exstat in quo infirmorum 507 curam gerunt moniales. Cum autem in hospicio subinde recipiantur acatholicae religionis sectatores qui

¹ Hinc Romae, cum advenerunt protestantes, data fuit Instructio a Card. Vicario i 12 iulli 1878), in qua legimus: «Neque a peccato mortali eximuntur erchitecti, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam, stque laborant ad extruendum aliquod protestantium templum. Quoad structores aliosque onerarios inferiores a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in Religionis Catholicae contemptum» (ASS, 11, p. 175).

² Hinc licet ex proportionata causa vendere... organa et suggestum etiam pro templis Protestantum» (Prümmer, *Th. Mor.*, I. 623, ed. 1931). «Casus satis diversi sunt laici viri qui ludaeis aliquem ex agnis vendat qui in variis locis venales prostant, et viri ecclesiastici qui sacerdoti schismatico farinam vendat, expresse ad conficiendas hostias pro missa postulata, et quam nemo alius vendere possit. Valde gravis causa, praesertim ordinis publici, sola istam cooperationem excusare posse videtur» (Vermeersch, *Th. Mor.*, II. 147, nota, ed. 1928).

petunt ministrum acatholicum pro religionis auxiliis atque solatiis recipiendis, quaeritur utrum praefatis monialibus licitum sit falsae religionis ministrum advocare pro infirmo acatholico qui eundem ministrum petant; et an idem dicendum sit de haeretico infirmo in domo privata cuiusdam catholici, scilicet an catholicus possit advocare haereticum ministrum quem infirmus petit.

Solutio

508 Huic duplici quaesito S. Congr. S. Officii respondit (15 mart. 1848): «luxta exposita non licere; et ad mentem: Mens est quod passive se habeant» *

Ad quod responsum Prümmer: «In istis enim casibus melius est ut soror religiosa adiuvet infirmum ad eliciendum actum contritionis, quam ut advocet ministrum acatholicum, qui nullam potestatem habet administrandi sacramenta. Sin autem infirmus prorsus exigit ut minister acatholicus advocetur et ex recusatione a sorore facta orientur magna incommoda, cunc soror religiosa potest per se vel per aliam personam nuntiare ministro acatholico hoc desiderium infirmi. ~~Ra~~ est, quia talis nuntius non est nisi actio de se indifferens, quam licet ponere ex rationabili causa» 2. Et adiecit in

* *Collectanea*, n. 2030, in nota. Idem S. Officium declaravit (5 febr. 1872): «Il *passive se habeant* vuol dire che non è lecito chiamare direttamente il ministro acattolico; il che è bene che venga diehiarato nelle evenienze; ma per la chiamata possono servlrsi di qualche soggetto appartenente alia rispettiva loro setta» (*Collectanea*, *ibidem*).

- Prümmer, l. c., n. 526. «Ego dicerem, nuntium istud a Monialibus et Sacerdotibus declinandum esse, et potius permittendum ut infirmus ope alicuius laici ministrum advocet. Immo, cum (atentis circumstantiis. et speciatim in locis ubi soli catholici degunt, maxime vero si de apostata ageretur) contingere possit quod ne laico quidem huiusmodi nuntium liceat, aut quod factum istud nimium scandalum producat atque adeo nullo modo permittendum videatur, dicerem etiam quod Ordinarius consuli deberet» (Berardi, *Praxis confessoriorum*, I. 660, ed. 1887)

notula: «Lehmkuhl (Th. Mor., I, 810-811) putat, ex gravi omnino causa licere ut soror possit pro ministro acatholico in similibus circumstantiis mensam parare in qua vult ritum suum conficere, in ipso ritu utensilia, panem et vinum porrigere. Quae tamen non omnia videntur esse admittenda. Sane soror potest mensam parare, quia haec est actio indifferens, sed *durante ipso ritu haeretico* active ministrare licite non potest, quia haec est cooperatio proxima in ipso ritu haeretico, quae non videtur esse licita. Si enim non licet in templis haereticorum, cum ibi falsus cultus exercetur, organa pulsare, a fortiori videtur esse illicitum tam proxime cooperari ad coenam protestanticam. Insuper iuxta praescriptum S. Officii pluries repetitum sorores debent se *passive* habere in tali casu. Numquid tam proxime cooperari est passive se habere?»

Alii casus.

C. II.—Rogatus ab amico ut in nuptiis quae ab haereticis coram haeretico ministro celebrantur munus paranymphe velit agere, Hermelandus a confessario petit num id munus agere sibi liceat 509

Sol.—«Si officium paranymphe sit sponsos ministro offerre ut eos matrimonio coniungat, certo est illicitum, cum sit active et immediate cooperare in sacris; si vero eius munus ad hoc tantum limitetur ut sponsam sponso, vel e contra, tradat postquam coniuncti sunt, nihil illicitum apparet; sicut et permitti posse videtur quod matrimonio assistant illae puellae, ut in America septentrionali. quae principalem assistentiam sponsae agunt, cum solum officium civile praestare censeantur». Sic Fanfani².

¹ Prümmer. l. c.

* Fanfani, *Th. Mor.*, II, 41. Videsis supra, n. 98.

510 C. III.—In navibus Angliae navarchus tenetur ex officio ut die dominica preces e *Prayer Book* desumptas recitet in communi. Gislenus, quod catholicus sit, anceps haeret atque sententiam postulat sacerdotis. Quid dicendum?

Sol.—Respondet Vermeersch: «Dummodo preces seligat errore vacuas, navarchus catholicus partes istas explere posse videtur. Officio cui astrictus est eius actio explicatur, et demonstratio religiosa hodie potius optanda est» \

511 C. IV.—In populis et civitatibus Regni Sinensis mos erat imponendi quasdam contributiones, quae a populis vicinis exigebantur, ut in pascha anni novi, in sacrificiis et daemoniorum suorum idololatriis, et invitationibus ac conviviis in eorundem templis praeparatis, simulque in festivitatibus aiiiisque indifferentibus pro populi laetitia demonstrationibus expenderentur. Ideo quaesitum fuit a S. Congr. de Prop. Fide: Utrum Christianis ac Ministris eorum (a quibus etiam tamquam a populis vicinis postulabant) licitum esset, pro tunc saltem, pro huiusmodi rebus contribuere; nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter gentiles fieret?

Sol.—Eadem S. Congr. respondit (12 sept. 1645): «Posse Christianos chinenses pecunias contribuere, dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus idololaticos et superstitiosos concurrere, supposita causa quae narratur in dubio; praesertim praemissa, si commode fieri potest, protestatione quod imposita tributa praestant in ordine tantum ad populi laetitiam et ad actus indifferentes, vel saltem cultui Religionis Christianae non repugnantes» 2.

» Vermeersch, *l. c.* n. 147.

3 *Collectanea*, n. 114.

C. V.—Siamenses solebant emere passerres, pisces, 512
testudines, quas croco linebant, quas iunctis manibus
salutabant, et sic in flumen demittebant, credentes ha-
bere magnum meritum, quia sic libertatem et vitam
illis tribuebant, petebantque ab ipsis ut in futuro illos
adiuvarent. Ideo quaesitum fuit a S. Congr. de Prop.
Fide: Possuntne Christiani praedicta vendere, quin su-
perstitioni illorum conniveant?

Sol.—Praedicta S. Congr. respondit (18 mart 1817):
◆Nisi constiterit animalia, de quibus agitur, a Christia-
nis vendi gentilibus ut ab istis libertate donentur aut
asserventur ad effectum fovendi superstitionem, non
esse inquietandos.*

C. VI.—Emptor infidelis protestatur velle uti re ven- 513
dita ad superstitionem; et Christianus negat hanc ei
vendere rem. Infidelis audiens hoc, statim mutat verba,
et dicit: non ita sit, sed vende eam mihi ut comedam,
vel propter alios indifferentes usus. Quod si Christianus
recuset, est periculum ut gentilis clamet, rumoreque
faciat contra Christianum vel Christianos. An sic liceat
Christiano vendere infideli, quamvis bene intellegat sub-
dole illum loqui?

Sol.—S. Congr. de Prop. Fide respondit (26 nov. 1822):
«Licitum, ut in casu proponitur»

C. VII.—Christiani quandam chartae speciem fabri- 514
eant quam ordinarie vendunt paganis. Cum illa charta
ex seipsa sit indifferens ad quemcumque usum illam
pagani nova operatione praeparant ut ad superstitiosa
peragenda apta sit.

i *Collectanea*, n. 720.

s *Ibidem*, n. 775.

Sol.—«Siquidem charta, prout ab utrisque venditur, per se et in communi hominum aestimatione sit indifferens, et primario et directe non referatur ad superstitiosa, non esse inquietandos». Sic eadem S. Congregatio, die 3 oct. 1845 l.

INDEX AUCTORUM

*Ciianiur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero.*

- Aertnys-Damen, 40, 113, 261n, 299, 312, 325n, 404, 408n, 412, 425n, 440n, 444n, 451, 466, 467, 481n, 487, 500, 501.
Alexander, VII, 171.
Alphonsus (S.), 37, 42, 146, 232, 294, 322, 326, 444n, 472, 276, 313.
Ambrosius (S.), 319n.
Aristoteles, 192.
Augustinus (S.), 156, 179, 240, Azpiazu, 326n.
Ballerini-Palmieri, 146, 146n.
Banez, 205, 282, 301, 325, 330, 340, 341, 370.
Benedictus XIV, 129, 129n, 197n.
Berardi, 254, 451, 466n, 508n.
Beschinn, 411.
Billot, 184.
Billuart, 206, 210, 287n.
Blat, 65n.
Boschi, 424n.
Bucceroni, 27, 226, 475.
Caietanus, 143n, 188n, 248n, 278n, 279, 315, 317n, 319n, 437.
Caperan, 5n.
Cappello, 78n.
Casals, 428, 429.
Castro Albarran (de), 369n.
Chelodi, 48n.
Connell, 433n.
Cordovani, 374.
Coronata, 65n, 101, 445n.
Creusen, v. Vermeersch-Creusen.
Damen, 40, v. Aertnys.
De Iorio, 122, 123.
Fabregas, 124, 125n, 126n, 127n.
Fanfani, 22, 25, 56, 61n, 73n, 94, 106, 109n, 209, 221, 261, 281, 284, 325, 335, 382n, 383, 387, 408, 409n, 426, 450, 451, 472, 509.
Felici, 329, 494n.
Ferrerres, 17n, 286, 392, 407, 425, 445n.
Franciscus Salesius (S.), 303n.
Garcia, 111, 112.
Gelasius, 161.
Genicot, 24, 222, 261n, 326n, 337, 417, 427, 445n, 448, 464, 484.
Gone?, 251.
Granada, 53n.
Gregorius (S.), 224, 244.
Guarise, 431n, 433n.
Gury, 440.
Guzzetti, 52n, 54n.
Harent, 52n.
Haymo, 140.
Hieronymus (S.), 306.
Huerth, 51n, 52n.
Innocentius XI, 13, 14, 167n, 323.
Ioannes a S. Thoma, 253.
Iorio, 326n.
Kelly, 433n.

- Lagrange, 162η.
 Larraga, 466η.
 Lehmkuhl, 174, 294, 302, 444η,
 508.
 Lemmonyer, 162η.
 Leo X, 170η.
 Leo XIII, 71, 108, 310, 314, 315,
 318. 326n.
 Lio, 470n.
 Lombardos (Petrus), 140.
 Lugo, 444n.
 Lumbreras, 140n.
 Lutherus, 170n.

 Maldonvtus, 162.
 Marc, 14, 58. 145, 145n. 149,
 273. 290. 325. 377n. 383, 390,
 402. 444n, 451, 466, 478, 488,
 505n.
 Massineo, 351n.
 Mechlinense, cone., 352n.
 Merkelbach, 15n, 21, 32. 110,
 142n, 143n, 207, 208, 269, 280,
 281, 292, 296. 297, 302, 324n.
 325. 382n, 391. 393, 409. 417,
 444n, 466, 486, 503.

 Noldin, 15n, 29n, 32. 33, 39n,
 153, 294, 324n, 409n, 444n,
 447n, 450r., 478, 481n, 498.

 Ottaviani, 122n.

 Palazzini, 431.
 Palmieri, v. Ballerini.
 Pegues, 23n.
 Pistoni, 449.
 Pius IX. 62.
 Pius X (S.). 108.
 Pius XI, 108, 304, 303. 309, 311,
 312n. 326n. 329, 346, 418.
 Pius XII, 62. 109n, 304. 311.
 327η, 348η, 352n, 414n, 423n,
 433n. 494n.
 Prümmer, 7, 39. 48n, 180, 232.
 241. 259. 283. 289, 324, 325,
 343, 388n. 413, 417, 444,
 444n. 497, 506, 508.

 Roberti, 261n, 463n.
 Rodrigo, 38.

 Salmanticenses, 23. 146n, 238,
 253, 321, 409n, 416.
 Silvius, 340.
 Sirna, 499.
 Suarez, 321.

 Tanqueray, 29n, 33, 64.
 Tapia (de), 157n.
 Ter Haar, 154, 386, 386n, 417n,
 418, 430.
 Thomas (S.), 1, 6, 15n, 29, 33,
 45, 48n, 102, 104, 105, 128,
 129, 140, 142n, 157. 158, 159,
 161n, 163, 168, 169n, 175,
 175n, 176n, 178, 179, 185,
 186. 188, 190, 193, 194, 200,
 202, 203, 204, 215n, 225n,
 240, 243n, 244, 244n, 255, 267,
 271, 275, 276, 278, 279, 287n,
 303, 308, 311, 312. 313, 319,
 322n, 326, 328, 330, 346, 347,
 351, 355, 366, 367, 368. 369,
 371, 372, 374, 393, 405n, 415,
 425, 489.

 Vachon, 228n.
 Van den Ecrendeemt, 445n.
 Van Roey, 253, 281n.
 Vermeersch, 6n, 29n, 61n, 95n,
 146, 147, 155. 239, 269, 294,
 326n, 444n, 460, 480, 497,
 504n, 506n, 510.
 Vermeersch-Creusen, 65, 73,
 92, 93n.
 Vidal, v. Wernz.
 Victoria (de), 128n, 244n. 261n,
 236, 278n, 279, 281, 318, 325,
 332, 348, 349, 352, 360, 371n,
 395n, 470.

 Waffelaert, 453n.
 Wernz-Vidal, 65, 65r, 92n.

 Zalba, 471.
 Zigliara, 69, 365.

INDEX RERUM

*Citantur numeri marginales.
Littera n notam indicat adiectam numero*

- Absolutio, v. Confessarius.
Confessio, Excommunicatio.
Abstinencia, v. Cibos.
Acedia, 257; et desperatio, 217; v. Tristitia.
Adulteratio, v. Merces.
Agere propter officium aut mercedem. 192.
Aggressio iniusta, 400; num aggressori parcendum ne in peccato decedat, 285.
Amor Dei, concupiscentiae, 191, inclusus in spe. 183, num maior amore sui. 191; interessatus, 187 - 9, num maneat cum caritate perfecta, 193s; mercenarius. 190; v. Dilectio Dei, Perfectio.
Apostasia, num requirat professionem falsae religionis, 58; v. Infideles, Infidelitas.
Artifex, 489; v. Cooperatio artificum.
Assistentia sacris infidelium, v. Communicatio fidelium in sacris infidelium; imposita ab auctoritate civili 94.
Associationes cum acatholicis. 105.
Atheisticae sectae adscript! 122n.
Atomic! pyroboll usus, 358s.
Avari amor ad divitias, 176n. 187-9.
Avaritia, et desperatio, 175. 215n.
Baptismus, quam petat intentionem. 131; puerorum infidelium, 123-39, amenitium, 138s; eius fictio si petitur ob motiva inepta, 134; petitus ut filius fiat Christianus sed non catholicus 130-3; adulti ignorantis credenda necessitate medi, 16-24; sub condicione «si es capax», 23; mahumedani moribundi, 14n; a schismaticis, 80; v. Mater, Patrus.
Belli moralitas, 346-60; v. Captivi, Nationis, Pax, Spatii, Tyrannici.
Benevolentia, sine caritate, 313.
Bibliopola, v. Libri
Blasphemia, 140-55; In ira. 144s. 150. absque attentione ad sensum. 153, vel sine intentione dehonorandi Deum, 154; interlectionis instar, 155; in Sanctos, 152n; v. Patronus, Scandalum
Blasphemia ir. Spiritum Sanctum, 156-168; v. Desperatio. Odium Dei, Praesumptio.
Captivi in bello, non puniendi. 360.
Caritas, non quaerit quae sua sunt, 276n. est summa seu compendium evangelii, 310; in quaestione sociali, 303-15; v. Amor Dei. Benevolentia. Confessio, Dilectio, Parochus, Pax, Timor.
Catholici et haeretici, num par condicio, 55; Commu-

- nlcatlo fidelium, Cooperatio fidelium.
- CaupC. † lo; v.. Cibos, Cooperatio cauponum, Ebrii, Imagines sacras.
- Cellans concedens pseudocconiugibus, 479-83.
- Certamina pulchritudinis, 431-9.
- Choreas permittens, 479-83.
- Cibos, esuriales difficile praebens, 485; vetitos ministrans in caupona, 476 vel pensione, 486; dominis, 471; eders in locis haereticorum ne catholicus agnoscatur, 37.
- Cinematographicam aulam (in), Ingressum minorennum oiss mulans et notas commissionis ecclesiasticae negligens, 420-4; v. Spectacula, Theatrum
- Communicatio fidelium cum infidelibus, in profanis, 10114; in sacris infidelium, 88-100; horum in sacris nostris. 74-87.
- Communismus, **quid**, 115s; adscriptlo ipsi vetita, 115-27; et apostasia, 115s, et excommunicatio, 115s, 118; communlstaee excluduntur a sacramentis, 115s; **librorum**, etc., editio, propagatio, lectio 115s, 499; favor praestitus. 118.
- Conciones haereticorum audire. 96.
- Concubirae deferens amatorias litteras heri, 472
- Confessarius, quoad eos qui ignorant aut Ignorare videntur credenda, 16-25; non intermeans de elicitis actibus fidei, 7; quoad locutiones dubie blasphemias, 149; quoad recusantes deponere oHlum grave. 297; quoad actores et actr'ces, 425. quoad caupones, 483; quoad parentes mittentes filios ad scholas pravas, v. Scholae; inponens restitutionem non debitam, 411; absolvens sub condicione «si es capax» 23; v. Confessio.
- Confesio, accusantis blasphemiam seu peccatum in Spiritum Sanctum vel ex malitia, 160-2, vel ex habitu, 167; omissionem actuum spei. 180, vel caritatis cuius praeceptum urgebat indirecte, 251; inobservantiam praecepti dilectionis Dei, 254; vel amorem coniugis potioem, 247-50, 253; inimicitiam, 291, 296; scandalum, 388; timorem hurnum vel mundarum. 205; apud schismaticos, 81s; v. Dubia, Sperans.
- Conscientiae obiectio, 350-4.
- Contributionem solvens pro paganorum festivitate, 511.
- Conversionem differens ad finem vitae, 231-4.
- Cooperatio ad malum, 542-64. ad agros devastandos, 462; ad furtum vel incendium. 461; v. Certamina, Medicinam; artificum et mercatorum, 489-501; v. Imagines obscocnae, Libri, Medicinam; cauponum, 476-88; famulorum. 459n, 465-75; fidelium ad ritus infidelium. 502-14.
- Corpus, non amandum prae anima. 272, nec prae proximo. 279.
- Correptio fraterna, 330-45; peccantis ex ignorantia, 342; condiscipuli cuius peccatum notum superiori, 339; peccata proximorum explorans quae corripiat, 340; v. Subditus.
- Corruptor in collegiis, denuntiandus. 334-8.
- Culpabile in causa, proprie et improprie, 52n.

- Damnificans venditorem pravorum periodicorum, 397-401.
- Defectio a fide, num sine peccato, 50-4.
- Defensio, 401; v. Aggressor.
- Denuntiatio, 333; v. Correctio.
- Desiderium: emendi vilis et vendendi carius, 303; v. Vita, Mortis.
- Desperatio, 211-26; ex causa physiologica vel psychologica. 223; eius cui fuisset revelata damnatio, 225; damnatorum. 225n.
- Deus, naturaliter cognitus, 21n; amatus propter nos, 185; v. Amor Dei, Dilectio Dei.
- Diaria prava, v. Libri.
- Dilectio Dei, 243-55; ob beneficia suscepta, 252; v. Amor Dei, Odium Dei.
- Dilectio inimicorum, 287-302; signa communia et specialia, 289s.
- Dilectio nostri, 256-72; v. Vitae.
- Dilectio proximi, 273-86; non quia Deus mandavit vel ob qualitates eius naturales, 280; nun quisque naturaliter sentiat se prae proximo diligendum, 277-9; uxoris et filiorum, 248n.
- Disputatio cum infidelibus, 63-73; in ephemeride. 73.
- Divitiarum amor, 176n, 189.
- Dolens fuisse creatum, hominem destinatum ad caelestem patriam, 265; v. Tristitia.
- Dubia, in materia fidei, 10-56.
- Ebrii, quoad blasphemias, 146; eos ad blasphemias provocare, 144-7; cooperatio ad ebrietatem. 465 477, 484; ebrietati indulgens ob omissum actum fidei, 8.
- Ecclesia, et socialismus, 315; ecclesias evertere ob metum mortis, 38.
- Eleemosyna, 316-29; eam differens post mortem erogandam, 320-3; eam omitens quia a nemine rogatur, 328.
- Ephemerides, v. Disputatio. Periodica.
- Episcopi, quoad fidem explicitant 15n.
- Eucharistiam, adorare delatam a schismatico, 93; suscipere ab eodem, 80, 90-2.
- Excessus in cibo et potu. 268.
- Excommunicationis ob haeresim absolutio, 60.
- Extremam Unctionem petere a schismatico, 80.
- Facium, v. Luminarium.
- Famulatus apud acatholicos, 105, 113; v. Cooperatio famulorum.
- Feminae, fucatio, 437; ornatus, 384-6.
- Fenelon, v. Semiquietistae
- Fictio, pulchritudinis, 437; v. Baptismus, Sollicitans.
- Fidei actus internus, 1-12; v. Dubia, Haereticus.
- Fidei actus externus, 26-41; simulatio, 27; dissimulatio, 28; occultatio, 36s, 39, 41; dum quis audit fidem impugnari, 31-5.
- Fides, an amittatur desperatione, 214; late dicta, 3-6; v. Defectio.
- Fides explicita. 13-25; ignorantia eorum quae sunt minoris momenti in symbolo 15n.
- Filii, v. Baptismus, Scholae, Theatrum.
- Funeribus haereticorum assistentia, 89, 99s.
- Haereticus, quis, 48; an qui recit dogma Assumptionis, 62, vel id quod falso putat definitum ab Ecclesia. 57. vel apparitiones ad Lour-

- des et revelationes S. Birgittae, 11; vel non genuflectens ante Tabernaculum, 12; poenae In haereticos, 49; exclusio a Societatibus S. Vincentii de Paul, 87; v. Catholici, Communicatio, Cooperatio, Excommunicatio, Infideles, Libri.
- Hospitalibus inservientes, quoad cooperationem operationibus vetitis, 456-60.
- Iansenistae, 183s, 187-91.
- Ielunium, cooperatio ad eius fractionem, 487; v. Mortificationibus.
- Ignorans, 157n.
- Imagines obscenae, 408-16; an imagines artis eximiae, 409, vel idealisticae, 413
- Imagines sacras, removens a diverticulo, 36; deponens, mutilans, comburens ob metum mortis, 38.
- Impaenitentia, 164s.
- Infideles, qui, 48; eorum salus, 5; ipsorum opera non semper peccata, 47; commercium cum eis, 105: num debeant habere praelationem supra fideles, 105n: v. Communicatio, Cooperatio, Disputatio, Famulatus, Infidelitas, Ordines, Patrinus.
- Infidelitas, 43-62; corrumpit habitum fidei, 46; v. Haereticus, Infideles, Schismatici.
- Inimicus, diligendus, v. Dilectio inimicorum; aversio deponenda, 291; eum dum a longe videt iter mutans, 293-5; v. Confessarius, Confessio, Offensor.
- Intemperantia, 268.
- Intemperatus, 157n.
- Invidiae periculum in certaminibus, 439.
- Irregularitas, ob haeresim, 49; eius dispensatio a Regularibus, 61.
- Iuramentum «per vitam Dei vel Sanctorum», 151.
- Iustitia, et pax, 312; et quaestio socialis, 304, 311.
- Kantiana philosophia, 192
- Laborem praebens loco elemosynae, 329.
- Lectio, v. Libri, Romanenses Libri pravi, 440-51; impii, obsceni, 440, subosceni, erotici, 440n; scriptio, lectio, retentio, 441s; venditio, expositio, 499; delatio emptorum ad emptores, 501.
- Litteras amatorias heri deferens concubinae, 472.
- Locutiones blasphemiae, 148s
- Ludos aleatorios permittens, 479-83.
- Lucta classium, 109.
- Lumlnarium delatio ab acatholicis in nostris processionibus, 86.
- Luxuria, et amissio fidei, 43n vel spei, 175; et desperatio, 224; v. Cooperatio cauponum, famulorum.
- Magistri in scholis communistarum, 127.
- Magna promissio facta S. Margaritae M. Alacoque, 181S.
- Mater, num teneatur periculosissimam subire operationem pro baptizanda prole, 283.
- Matrimonium, Ignorantium prima fidei elementa, 19n; mixtum, 103, 110; communistarum, 116s, 120-4; coram solis testibus, 92n; apud schismaticos, etc., 90-2; assistentia matrimoniis haereticorum, etc., 89, 98, 509.
- Medicinam, inveniens pro curando et praeveniendo morbo venereo, 464; vendens quae ut plurimum adhibetur ad abortum, 463, vel

- Impeditivam generationis, 492-4.
- Mercator, 489; v. Cooperatio artificum, Libri, Vendens.
- Merces adulteranti cooperatio, 468-70, 474.
- Militiam recusantis, reparatio, 353; v. Oblector.
- Misericordiam Dei vertens In motivum peccandi, 234.
- Missae, omissio num liceat uxori ne maritus blasphemet, 403; auditio apud schismaticos, 90-2; ministratio ab acatholicis, 83.
- Molinos, v. Quetlstaë.
- Morphium, v. Narcoticorum
- Mortificationibus se reddens inhabilem ad propria munera, 271.
- Mortis, desiderium propriae, 222, mariti et filiorum. 286: periculo se exponere, 260-4.
- Narcoticorum usus, 269.
- Nationis exteræ incrementum, 356.
- Necessitas, quotuplex, 317: quid in unaquaque dandum, 318, 324-6; an sub gravi, 319; v. Eleemosyna.
- Nomen Dei vel Sanctorum proferre ex ira ad creaturas, 150.
- Oblector, v. Conscientiæ.
- Occasionem peccandi num liceat alteri non praecludere, immo et apponere, 406.
- Odium Dei, 163; abominationis et inimicitiae, 246; num sit peccatum in Spiritum Sanctum, 163; an in odio poenarum divinitus inflictarum, 255.
- Odium proximi. Inimicitiae. 290; deponendum, 291; v. Confessarius, Dilectio Inimicorum, Inimicus, Offensor.
- Offensor, eius offensa dimittenda, 291; pristina amicitia num redintegrandam, 291, 298; eius Iniuriæ non valens oblivisci, 299; an licite deferatur ad iudicem puniendus, 301; v. Dilectio inimicorum, Inimicus.
- Opii cultura et commercium, 495; v. Narcoticorum
- Oratio, pro divino auxilio ad malum pratrandum, 239: cum schismaticis, 95; e libris haereticorum, 510; desperans de impetratione sanitatis recuperandae. 226
- Ordines recipere a schismatico. 76.
- Organi pulsatio, a catholico in templis acatholicorum Infidelium, 504; ab acatholicis in nostris, 85.
- Paenitentiam, v. Confessio. Conversionem.
- Paranymphus in nuptiis haereticorum. 509.
- Parochus, perpetuo praedicares caritatem, 305-9; quoad remissionem iurium stolae ne paroeclani indulgeant obtrectionibus. 402; quoad funera haereticorum, 100.
- Patrinus, in baptismis nostris, 76; et haereticorum, 97.
- Patroni, quoad augmentum salarii ne operari blasphement, 402.
- Pax, opus iustitiae et caritatis, 312; an bello praeferranda, 355.
- Peccans, ex timore mundano. 206; sub spe veniae post annum obtinendae, 240; quia Deus est misericors, 234, aut tam facile remittit 10 quam 5 peccata, 234, aut quia tam facile accusantur peccata plura ac unicum, 242; venialiter, quia his Deus facile ignoscit, 241
- Peccator, an teneatur ad correctionem fraternam. 345: v. Peccans.

- Peccatum, ex malitia, 157-9; timens ne primo peccet hoc peccato, 168; v. Blasphemia in Spiritum Sanctum, Confessio.
- Perfectio, num aptius Dei amore quam timore obtineatur, 201-4; adveniens, num tollat Imperfectionem praevidiam, 193.
- Periodica prava, v. Libri. Venders; ips.s collaborans. 496, dans nomen, 498; in eis venalia nuntians, 497; damnificans.
- Perturbatio, v. Tyrannici
- Petere num liceat quod alter non praestabit absque peccato, 405.
- Praesumptio, 227-42; cum Infidelitate et cun fide. 230; an minuat Dei potentiam, 235.
- Professio fidei, v. Fidei actus externus; eam emittens absque actu interno. 9.
- Proprietas non amittitur abusu. 398s.
- Provocans ad peccatum, v. Ebrii, Petere, Sollicitatio.
- Puella, an teneatur vitare conspectum viri a quo novit turpiter concupisci. 404.
- Pueri, v. Baptismus; quoad fidem explicitam, 24.
- Pulchritudo, artificialis in femina, 437; humana num exponenda, 414s; v. Certamina.
- Quaestio socialis, v. Caritas.
- Quietistae, 183, 185, 193s.
- Redimens pecunia ne de eius fide inquisitio fiat. 42.
- Religiosae, v. Hospitalibus.
- Resistentia, v. Tyrannici.
- Ritus, v. Communicatio, Cooperatio.
- Romanenses libros legens. 451.
- Rotary Club, 114.
- Sacerdos, quoad fidem explicitam, 15n; quoad sacramenta administranda peste laborantibus, 284.
- Sanctorum, intercessio quoad spem, 177; v. Blasphemia, Nomen, Imagines sacrae
- Sanitatis recuperandae; v. Virgo, Vitae.
- Scandalum, 377-92; eius, reparatio, 383, 392; publice blasphemantis, 389; scandalum passivi permissio. 393-407; v. Certamina, Confessio, Imagines obscenae, Libri, Spectacula.
- Schismatici, moribundi vel mortui quomodo spiritualiter adiuvandi, 77-9; eorum puellarum cantus in ecclesiis nostris, 84; v. Communicatio, Cooperatio, Infideles.
- Scholae, acatholicae, 104 106; nutrae, Ills, communistarum, 119n, 125-7.
- Scrupulosi, num teneantur ad correptionem fraternam, 343.
- Seditio, v. Tyrannici.
- Seminarii alumni non amplius se invicem alloquentes, 302.
- Semiquietistae, 183, 186
- Socialis quaestio, v. Caritas
- Socialismus, v. Ecclesia; disputatio de eorum dogmatibus, 72.
- Sollicitans, etsi fecte, ad peccatum, 407.
- Spatii vitalis denegatio, 357.
- Spectacula indecentia, 417-30; assistens scenae cum dubio positivo futuri lapsus, 430.
- Sperans, gratiam et gloriam patrocino Sanctorum, 177. vel ex propriis meritis, 178; non per B. Virginem. 236, vel quantam habet B. Virgo, 238; veniam sine confessione, 237; v. Temnora-Ha.
- Spes, 169; eius honestas, 183-94, et necessitas, 169-82. v. Conversionem, Desneratic, Peccans, Praesumptio, Sperans.
- Spirituale bonum, praefendum temporali, 398; an sacrificandum pro proximo, 282.
- Statuae, v. Imagines
- Status, beneficentia loco caritatis, 314; taxa pro pauperibus, num eximat ab eleemosyna, 327; altioris adspiratio, 325n.
- Studentes, quoad falsas doctrinas exponendas in examine, 40; quoad lectionem et retentionem librorum a magistro impositas, 449.
- Stuprum tad) cooperatio famuli, 473.
- Subditus, quoad correptionem superiorum, 308,344.
- Superstitio, v. Vendens
- Syndicatus, catholici efformandi, 108; mixtos vel neutros efformans, 108s; communistae adscriptus a quo nequit recedere, 117-9.
- Temporalia, sperans a Deo 179.
- Testis, in nuptiis nostris, 92n, vel haeticorum. 98, 509.
- Theatrum (ad) filios secum ducens, 427; v. Spectacula
- Timor Del, 195-210; num maneat cum caritate perfecta, 194; num causet involuntarium sec. quid, 209; num importet maius odium inferri quam peccati, 210; v. Perfectio.
- Tristitia, de assistentia choro, 266, de operibus bonis non praeceptis, 267; v. Acedia, Dolens.
- Typographus, 489; quoad libros pravos, 490.
- Tyrannici regiminis perturbatio, 361-76.
- Uxor, v. Missae, Scandalum.
- Vanitatis periculum in certaminibus, 438.
- Vendens, res pro usu superstitioso, 512-4, folia prava, 491, vel communistica, 499; venialia nuntians in foliis pravis, 497; v. Cooperatio artificum.
- Venialia non curans quia facile remittuntur, 241.
- Virgo, attractionem medici prae morte abhorrens, 270; v. Stuprum.
- Vitae, conservatio, 258s; v. Virgo; expositio. 260-4; perpetuae desiderium, 173-6.